NOVORUM VEGETABILIUM DESCRIPTIONES.

IN LUCEM PRODEUNT

OPERA

PAULLI DE LA LLAVE

ET IOANNIS LEXARZA

REIP. MEXIC. CIV.

FASCICULUS I.

QUADRAGINTA DESCRIPTIONES COMPLECTENS

QUARUM TREDECIM

TOTIDEM GENERA NOVA

EXHIBENT.

Méxici: Apud Martinum Riveram.

ANN. DOM. M.DCCC.XXIV.

PRAEFATIO.

Hoc de re botanica opusculum quod nunc scientiae cultoribus, non viribus profectó nostris sed eorum humanitate freti exhibemus, et industria quantum botanophillis licet elaboratum, et congruentibus ditatum iconibus, nisi maxima nos detinuissent impedimenta, anno proxime elapso, in lucem editum ac communicatum fuisset. Vix enim opellam prae manibus habebamus, cum quod minimè propter ingenii nostri exîguitatem sperandum erat, ad Reipublicae vocati negotia, et his quorum auctoritas apud nos plurimum valere debet obtemperandum fuit, et rerum naturalium studium intermittendum; equidem his dediti atque intenti quibus populi incolumitas aut felicitas versatur, nec tempus nobis est, aliaque desunt, aut omnino necessaria, aut quae maxîmo adjumento sunt, ut labor noster nec impertinens nec inanis omnino videatur, sapientumque probatione et laude dignus existimetur. Quod cum ita se habeat, resque si opportuniori reservetur articulo, verendum nobis vehementer sit, ne multis incommoditatibus collecta vegetantia, ab Europae peritis, hoc praesertim tempore quo Mexici aditus exteris patet, Mexicanorum gloriae detrimento describantur notaque alibi fiant, opus licet impolitum tabulisque destitutum, quantocius per fasciculos emittere atque evulgare, operae pretium duximus.

Nunc vero si stirpes nonnullas cognitas jam atque exploratas tanquam novas atque ignotas, ut plerumque fieri solet, in medium fortas-

se producimus, hoc potius quam vitio nostrûm, librorum penuriae qua versamur tribuendum; sic enim plantas quas nunc ut *Melanantheras Iaegeriasque* cognoscimus, novas omnino reputabamus, sed cum forte in manus incidisset secumdum Humboldtiani Kuntii operis volumen, eas á novorum generum agmine disjungere compulsi sumus. Alio etiam ex fonte, error emanare poterit, cum nempe cognitae jam stirpes, atque adamussim descriptae, impropriis tamen sedibus ab auctoribus collocantur; sic enim vegetantia quae Wildenovius aliique *Vernonias* appellant, tanquam nova omnino ostentare properabamus, idque inculpatim judicio nostro; nam ¿quis profecto persuadere sibi posset arborescentes saepenumero aut sarmentosas plantas, quarum flores calicibus inermibus atque ut plurimum campanulatis praediti sunt, quique sessiles spicis sese offerunt secundis, una cum *Cnicis, Carduis ac Carlinis, capitatorum* ordine immixtas esse atque confusas.

Iam vero, quod ad novorum generum adpellationem spectat, botanicos nostri aevi non malé ferre existimamus, quod ea immortalibus gentis nostrae ducibus, licet vegetantium cognitione minime versatis, nuncupentur: horum profecto nomina, charissima nobis sunt, neque his contemnenda videntur, qui veri amore capti et impulsi, aut scientias colunt, aut favore et humanitate ad colendum excitant; et ut alia praetermittamus ¿quis non videt virorum nostrorum incredibilia facinora, bonarum artium incremento, apud nos esse conjuncta? ¿Quis tam rerum nescius, qui non animadvertat, quantum boni in posterum rerum naturalium disciplinis libertas allatura sit, quam nobis illi et consilio divino prorsus, et invicto animi robore paraverunt.

Ad alium nunc veniamus rem, gratique animi satisfaciamus officiis. Vincentius Cervantes qui trigintą abhinc annis summa cum laude Mexici botanicam docet, consilio, libris, atque iteratis novorum generum explorationibus praesto fuit, neque iis contentus, veteri quae inter nos est amicitia tactus, reique herbariae boni percupidus, plantas donavit novas, quibus fasciculorum opus illustrari atque augeri facilè poterit; atque hìc data occasione celeb. et amicissimi Cervantesii pessima deploranda sors est, adversaq. fortuna, qui innumerabiles ab ipso determinatas stirpes, partim publicis demonstratas lectionibus, partim botanicis Europeis, siccis exemplaribus ac descriptionibus humanissimè et liberalissimè communicatas, editas jam in libris animadvertit, raro quod iniquum est, auctoris mentione facta; multum etiam Cervantes una cum *Sesseo*, *Mocinno*, et *Echeverria* peritissimo delineatore, nec zoologiae ac botanices ignaro, insudavit, in praeparando ac conficiendo opere quod á *mexicana rei naturális expeditione*, multis abhinc annis adverso fato cogitata atque incepta profectum est; haec enim tribus maximis voluminibus hucusque ineditis consignata sunt, hisque sexcentae et amplius icones respondent, quibus animantia et vegetantia quae rariora visa sunt vivis exprimuntur coloribus; quae quidem omnia licet in Europa transcripta jam fuerint, hoc diligentia factum est honestissimi viri, de cujus integritate et candore minime sperandum est, quod aliorum labores et vigilias sibi impudenter referat. Quae cum ita sint, ut ne id quod in aliis reprehendimus nobis fortasse objici possit, utque suus labor cuique tribuatur, nec induamur alienis, ad descriptionum calcem, initiales cognomentorum nostrorum sillabas adjiciemus.

Lexarza *orchideis* pro viribus deditus ut sequenti liquebit fasciculo, in Vallisoleti viciniis quae Michuacanensium urbs est princeps, temperataque regio, plantas colligit; ego vero praeterito anno ab Europa rediens, in fundo familiae meae *S. Jose del Corral*, Corduvensi ditione, ferventi sub coelo apud Veraeruzanos sito, tribus mensibus commoratus sum, ibique nec libris instructus, nec chartis ad conservandas plantas munitus, siccaque ad hoc *musarum* folia in usum adhibens, *singenesianas* selegi quae licet vita orbatae, commode tamen omni tempore recognosci ac determinari possunt. Sic quamvis uterque nostrûm area perexigua se exercuerit jamque antea a botanicis visitata, adhuc tamen nova non pauca offerre ac in medium depromere valemus ¡tanta enim terrarum nostrarum feracitas est! ¡tanta apud nos naturae vis atque varietas!

Faxit igitur Praepotens vegetantium Conditor et Custos ut quam citius immensa Reip. Mexicanae superficies a botanicis omnibus praesidiis paratis perlustrari queat; quod ad nos attinet, ut aliquando tandem finem faciamus, si otium in posterum nobis concedatur, nec reliqua desint adjumenta, pro scientiae bono quantum in nobis sit laborabimus, tuncque opusculum nostrum majori et venustiori traditum forma, stirpiumque figuris auctum atque ditatum sapientum judicio atque indulgentiae submittemus.

CLARISSIMIS MEXICANAE GENTIS VIRIS

MAGNO ANIMO EXCELSA PRAEDITIS MENTE

MICHAELI HIDALGO, IGNATIO ALLENDE

IGNATIO ALDAMA, MARIANNO ABASOLO

IOSEPHO MORELOS, MARIANNO MATAMOROS

LEONARDO ET MICHAELI BRABO, FRATRIBUS

HERMENEGILDO GALEANA, IOSEPHO XIMENEZ

FRANCISCO XAVERIO MINA, PETRO MORENO

VICTORI ROSALES, JOACHIMO LENNO.

A POPULO IN COMITIIS

QUAM OPTIME DE PATRIA MERITIS

HONORIFICENTISSIME DECLARATIS

HIS

AETERNA PERQUAMDIGNIS MEMORIA CIVIBUS

QUI QUOD MAXUME GLORIOSUM

DIVINUMQUE PRORSUS EST

LIBERAM FLORENTEMQUE PATRIAM REDDERE

ET COGITAVERUNT ET ADGRESSI SUNT

PAULLUS DE LA LLAVE ET IOANNES LEXARZA

CONCIVES

NOVA HOC FASCICULO CONTENTA GENERA

D.

NOVORUM VEGETABILIUM
DESCRIPTIONES.

MORELOSIA. (*)

Pentandria monoginia. Calix adherens. Corolla rotata, staminifera. Stylus furcatus. Stigmata duo capitata. Pericarpium; drupa, tetragona, nuce tetrasperma.

M. HUANITA.

Arbuscula modicae altitudinis, trunco scabro, ramis tortuosis, alternis, ad extremitatem deformatis, angulatis, virescentibus.

Folia; in ramulorum summitate alterna, ovata, longe petiolata, tri, quadripollicaria, nitida, integerrima.

Flores; terminales, corimbosi, ad extremum pedumculorum articulati, odoratissimi, ante fecundationem sponte caduci.

Calix; ventricosus, subcoriaceus, monophyllus, limbo quinquefido.

Corolla; monopetala, alba, rotata, perigina, tubo calice breviori, laciniis, subrotundis, patentissimis, inter se in capitulum cucullatum ante explicationem convolutis.

(*) Semper et Uruapae *Guanita* ignota lateres?
Non ita: namque decor denegat ipse tuos.
Exi *Morelosia*, raraque nomine terris
Mexicei Martis, nomina magna refer.

Filamenta; quinque, exserta, subulata, basi tomentosa, tubo corollae interpositive inserta.

Antherae; subsagittatae, ochro-fuscae, biloculares, polline albido.

Ovarium; conicum, adherens, striatum.

Stylus; unicus, albicans, longitudine staminum, ad furcatus, stigmatibus duobus incrassatis, virescentibus.

Drupa; carnosa, coriacea, subglobosa, obscure tetragona, acuminata, basi laciniis calicis circumdata.

Nux; oblonga, ossea, quadrilocularis, quadrisulca, loculis monospermis.

Unicum tantum individuum, Michuacanensium lingua Huanita adpellatum, hucusque inventum est, in oppido Uruapam vegetans totaque aestate florens.

1. *Observatio* 1. *An Izquixochitl Hernandez t.* II. *p.* 436 *edit. Matrit?*

2. *Cortex ab incolis propter antiquitatem singularitatemque individui adhuc existentis, magno pretio habetur, antifebrilisque stomachica et adstringens existimatur.*

3. *Corolla rotata, perigina, tubo brevissimo laciniis subrotundis patentissimis, drupa coriacea tetragona, nuce quadrifulca tetrasperma, habitu demum a Cordiis deffert, ideoque genus novum inter Ebenaceas, Sebestenasque collocandum. — Lex.*

MINA.

Pentandria monoginia. Perianthium; monophyllum, liberum. Corolla; monopetala, tubulosa, basi dilatata. Filamenta; corolla duplo longiora, ore tubi inserta. Germen; oblongum glandula carnosa cinctum.

M. LOBATA.

Planta; volubilis ramosa, caule cilindrico glabro.

Folia; cordato-trilobata, inferiora scabriuscula aliquantulum villosa, superiora glabra, parum nervosa.

Pedunculi; communes longissimi, glaberrimi, striati.

Inflorescentia; racemi gemini, secundi, in extremitate cujuslibet pedunculi communis 7- 9- 11 flori.

Flores; semipollicares, ad exortum rubri, adultiores luteo rubentes, postrémo dum ad summám explicationem pervenerunt luteo-albicantes, apice tantum rosei.

Perianthium; brevissimum, liberum, monophyllum, carnosum, 5 fidum, laciniis oblongis, carinatis, marginibus membranaceis, dorso sub apice mucronatis, mucrone carnoso, colorato inermi.

Corolla; monopetala, tubulosa, incurva, basi ampliata, lateribus compressa, 5 angularis, tubo intra calicem brevissimo, limbo angustato 5 dentato, dentibus post explicationem floris, rotundatis mucronatis.

Filamenta; quinque, inequalia, corolla duplo longiora, incurva, ad latus superius corollae inclinata, ore tubi inserta.

Antherae; oblongae, sulcatae, biloculares, basi crenatae, polline globoso refertae.

Germen; oblongiusculum, obtusum, 5-angulare, angulis obtusis, glandula carnosa basi cinctum.

Stylus; filiformis, filamentis paullo longior, stigmate globoso, glandulis tecto.

Pericarpium; capsula....

Semina....

Genus ipomœis affine. Vasis testeis Mexici propter florum elegantiam colitur. Floret aestate. — Cerv.

MOREN0A.

Pentandria, monoginia. Corolla; incurva, compressiuscula, limbo globoso aut explicato. Filamenta exserta, reclinata. Reliqua, ut in Ipomoea.

M. GLOBOSA.

Caulis; teres, scandens, perennis.

Folia; alterna, longe petiolata, glabra, hastata, lobo intermedio lanceolato-acuminato, lateralibus in angulum acutum anticé protractis, postice, prolongato-amplificatis, truncatis, hic ut plurimum angulosis, nec raro repandis.

Flores; axillares, subfasciculati, petiolo communi praelongo; proprio, brevi.

Calix; quinque-partitus, laciniis rotundatis, margine membranaceis, aequalibus, subtus, versus apicem corniculo carnoso donatis.

Corolla; punicea, incurva, compressa, limbo globoso, filamentis exsertis, reclinatis. Reliqua ut in ipomoea.

Floret toto anno in S. Jose del Corral, ad vias in montosis. Colitur etiam in horto mexicano — Llav.

Cervantesio auctore habemus, plantam quam nunc Morenoam appellamus aliasque bene multas Marianno Lagasca Botanic. Hispan. Principi, multis abhinc annis ab ipso fuisse communicatas, ut nova instituerentur genera; sed cum Morenoa praesertim in libris qui ad nos pervenerum minime descripta inveniatur, rité jure nostro utimur.

BRAVOA.

Hexandria monoginia. Flores; gemini spathacei. Perigonium; infundibuliforme, ore amplificato. Filamenta; sex fundo tubi inserta, longitudine perigonii. Ovarium; trigonum adhaerens. Capsula; oblonga trilocularis, trivalvis. Semina; numerosa reniformia.

B. GEMINIFLORA.

Radix; bulbus solidus piriformis, tuberculis inferioribus fasciculatis.

Scapus; longissimus, teres, articulatus, erectus, apice coloratus.

Folia; radicalia ensiformia, patenti-reflexa, basi punctis coccineis maculata.

Flores; alterni, gemini, penduli, breviter pedunculati, spatha squamiformi suffulti.

Perigonium; infundibuliforme, fere cilindricum, extus puniceum, intus lutescens ore amplificato, limbo sex-dentato, dentibus tribus alternatim minoribus, paulullum introflexis, omnibus obtusis brevissimis.

Filamenta; tubi fundo inserta, filiformia, longitudine perigonii, antheris versatilibus.

Ovarium; oblongum, obscuré trigonum, adhaerens, stylo incrassato, filamentis longiore, stigmate triquetro.

Capsula; oblonga trilocularis, trivalvis perigonio persistenti obtecta.

Semina; plurima, reniformia, duplici serie in unoquoque loculamento ordinata.

Habitat in montibus Micciacanis, et prope Vallisoletum. Floret autumno. — Lex.

LENNOA.

Octandria monoginia. Calix inferus marsescens. Corolla hypogyna, plicata. Stamina octo inclusa. Stigma, truncatum. Capsula unilocularis polysperma.

L. MADREPOROIDES.

Planta; nana, crassa.

Caulis; teres, carnosus, niveus, radiculis fibrosis simplicissimis.

Squamulae; foliacae, bracteaeformes, coloratae, imbricatae, marcescentes.

Flores; corimboso-thyrsoidei, purpurini, pedunculis carnosis, ut plurimum fasciculatis.

Calix; monophyllus, basi gibbosus, profunde laciniatus, segmentis octo linearibus, ligulatis, tomentoso-hyalinis, linea purpurina tota lungitudine, intus amplius explicata notatis, apice involutis.

Corolla; monopetala, hipocrateriformis purpureo-violacea, tubo calice breviori, ventricoso, albicanti, limbo stellato-plicato, octo fido, dentibus emarginatis, fauce lutescenti.

Filamenta; octo, tubo inserta, plicaturis alternatim opposita, incurva, nec exserta, antheris geminis, subrotundis, lutescentibus.

Ovarium; superum, hemisphaericum coloratum, stylo subulato, tubo corollae breviori, stigmate truncato.

Capsula; piriformis, unilocularis, octo-valvis, polysperma, seminibus minutissimis.

Floret prope Vallisoletum autumno. — Lex.

MATAMORIA.

Poligamia aequalis. Calix 4-florus, 4-phyllus, 4-caliculatus. Receptaculum, nudum. Pappus, multiaristatus, aristis duabus longioribus inflexis atque reflexis in hamulum.

M. SPICATA.

Caulis; bipedalis et ultra, nunc simplex omnino, nunc ramis florigeris in summitate compositus, piloso-hispidulus.

Folia; alterna in petiolum brevem decurrentia, obtuse serrata, adultiora obovata, juniora, lanceolata.

Flores; bini terni in axillis sessiles spicam exhibent.

Calix 4—phyllus, foliolis—4 per paria inequalibus caliculatus.

Flores 4 tubulosi, 5 dentati, in umbrosis violacei, de caetero albi.

Pappus multi-aristatus, aristis 4 longioribus, quarum duae majores virentes inflexae atque reflexae in hamulum.

Semina sublinearia villosa.

Floret februario in semitis et pascuis S. Josephi del Corral. — Llav.

ROSALESIA.

Poligamia, aequalis. Calix, de medio ad imum foliolis apice revolutis imbricatus. Receptaculum, nudum. Antherae in imo tubi; styli exserti, eminenter clavati. Pappus, villosus. Semina, striata villosa.

***R.* GLANDULOSA.**

***Frutex*; biorgialis, ramoso-virgatus, ramis junioribus striatis, pubescentibus, florigeris in extremitate viscosis.**

***Folia*; opposita, ovato-subcordata, petiolata, supra aspera, subtus pube subtomentosa, margine crenis subserrata.**

Inflorescentia; ramulorum extremitate atque in axillis corimbosa, pedunculis 2 — 5 flores gerentibus.

Calix; foliolis constat 8 — 12 acutis, erectis, aequalibus, striatis, ad medium usque duplici foliorum ordine cinctis, quae ovata sunt, apiceque revoluta; omnibus glanduloso-viscosis.

Flores; calice paullo longiores, numerosi, pallidè flavi, tubis linearibus, ore stricto, limbo brevissimè 5 dentato.

Antherae; in fundo corollae.

Stylus; ab ore tubi in stigmata duo dividitur, prelonga, eminenter clavata, divaricata, nec revoluta.

Receptaculum; nudum, scabrum.

Pappus; pilosus, floribus paullo minor.

Semina; cilindracea, striata, villosa.

Habitat in pascuis S. Josè del Corral; florebat martio. — Llav.

Genus, calice, antheris, et stylis preseṙtim, qui singularitatem quandam plantae tribuunt, a Cacaliis afinibusque prorsus diversum.

ALLENDEA.

Poligamia superflua. Flos discoideus. Calix imbricatus. Feminae in peripheria semiflosculosae, erectae. Receptaculun squamosum. Pappus pilosus uniformis.

A. LANCEOLATA.

Caulis; herbaceus, 6 pedalis et ultra, virgatus, ramulis striato-teretibus, tomentoso-sericeis.

Folia; opposita, connata, late lanceolata, in petiolum brevem decurrentia, supra leté viridia, subtus trinervia, tomento argentata sericeo, margine una alterave papilla denticulata.

Inflorcscentia; terminalis, subcorimbosa, pedunculis communibus praelongis, propriis multo minoribus.

Calix; imbricatus, foliolis acutis.

Flores; pallide flavescentes; hermaphroditi, paucibres, in disci centro, tubulosi, limbo 5 fido laciniis revolutis; feminei, multiplici serie, semiflosculosi, filiformes, erecti circunstant.

Receptaculum; convexum, paleis praeditum minutis, apice subaristatis, in centro longioribus. Pappus, pilosus uniformis.

Florebat martio ad ripas stagni vulgo balsa del buei in rio seco, non longe à S. Jose del Corral.

Folia nonnulla altera medietate versus basim abreviata, quasi clauda apparent. — Llav.

ABASOLOA.

Poligamia superflua. Flos radiatus. Receptaculum, paleaceum. Flosculi disci 4–dentati. Semina, papilla coronata.

A. TABOADA.

Caulis; 3 pedalis, ramosissimus, dichotomus.

Folia; opposita, lineari-lanceolata, asperula, dentibus distantibus serrata.

Flores; solitarii, dichotomia inserti, longe pedunculati.

Calix; aequalis, ex foliolis constans 12-16 duplici circumpositis serie.

Flores; feminei; semiflosculosi, albi, numerosi, capillares, 2-3 serie collocati; hermaphroditi; concolores, tubulosi, 4 dentati, antheris et stylis flavis, vix ad os tubi pertingentibus.

Receptaculum; planum, paleis linearibus acutis, ciliato-serratis.

Semina, tetragonoromboidea, apicis centro papilla umbilicata insignita.

Floret februario et martio in S. Jose del Corral ad ripas Huelueyapa. — Llav.

In honorem Emmanuelae Taboada, Marianni Abasolo dum inter vivos versabatur dignisimae conjugis, singulari erga patriam et maritum amore, virilique animi fortitudini et constantia inter mexicanas foeminas notissimae.

GALEANA.

Poligamia superflua. Calix, 5 phyllus. Receptaculum nudum. Pappus=o. Semina radii, ovata compressa, concava, marginata; disci prismatica.

G. HASTATA.

Caulis; herbaceus, procumbens, striatus, dichotomo-ramosus.

Folia; opposita, breviter petiolata, ut plurimum glabra, succulenta, nunc hastata, nunc sagitata.

Inflorescentia; duplex; in ramorum extremitate racemosa pedunculis brevibus; in inferiori parte, flores solitarii longe pedunculati in dichotomia inserti.

Calix; 5 phyllus, foliolis equalibus carinatis.

Flores; in disco 5 ut plurimum, hermaphroditi, flavi, tubulosi, 5 dentati.

Radius albus ex tribus constans ligulis, brevissimis, bifidis.

Receptaculum; nudum.

Semina; in radio, concava margine subdentato; in disco prismatica.

Habitat in salis S. Jose del Corral; florebat martio.—Llav.

ZEXMENIA. (*)

Poligamia superflua. Flos radiatus. Calix, duplici foliorum ordine. Receptaculum paleaceum. Semina compressa marginata; disci, 2-aristata; radii, 3-aristata; inter aristulas coronula paleacea.

Z. SERRATA.

Frutex; sarmentosus, 12-pedalis et ultra, ramis oppositis, teretibus, pubescentibus.

Folia; opposita, sublanceolata, petiolata, margine serrato, utrinque aspera; juniora, subtus pubescentia.

Inflorescentia; terminalis, racemis, nec raro umbellulis disposita, floribus pedunculatis.

Calix; foliolis 10-12 duplici ordine positis, ovatis, apice revolutis.

Receptaculum; planum, paleis stratum carinatis, apice dilatatis.

Discus; aureus, multiflorus, tubis 5 dentatis.

Radius; 10 12 semiflosculis concoloribus, ovatis, emarginatis.

Semina; compressa margine in aristulas duas desinente, inter quas coronula paleacea.

Semina radii ut plurimum aristis tribus.

Florebat martio in S. Jose del Corral ad vias —Llav.

Verbesinis affinis, sed ab his pappo habituque presertim quam maxime differt.

(*) Inversis hic litteris Ximenez cognomen exhibetur, cum jam inter compositas Ximenesiae genus inveniatur

ALDAMA.

Poligamia frustranea. Flos, radiatus. Calix, subimbricatus. Receptaculum, conicum, paleaceum. Semen, palea claustratum apice cucullata,

A. DENTATA.

Caulis; procumbens, dichotomus, teres, inferiori parte striatus.

Folia; opposita, petiolata, sublanceolata, utrinque aspera, dentibus serrata distantibus.

Flores; ut plurimum solitarii, longe pedunculati, dichotomia inserti.

Calix; foliolis 12. duplici circumpositis ordine, interioribus latioribus, omnibus ciliatis.

Radius; aureus 8—10 semiflosculis linearibus, emarginatis.

Discus; concolor, tubis numerosis 5 dentatis.

Receptaculum; paleis obsitum flosculos amplexantibus.

Semina; clausa receptaculi paleis, corrugatis, costatis, apice cucullatis.

Florebat martio in inundatis rivuli Huehueyapa S. Josephi del Corral. — Llav.

Folia superiora alterna nec raro lineari-lanceolata.

HIDALGOA.

Poligamia, necessaria. Flos, radiatus. Calix, duplex. Receptaculum, paleaceum. Pericarpium, drupa.

H. TERNATA.

Caulis; volubilis, altissimarum arborum summitates attingens, easque undequaque venustissime vestiens.

Folia; opposita, longe petiolata, ternata, foliolis ovatis, crassiusculis, glabris, serratis.

Calix; exterior 3—4 phyllus; interior 5 fidus.

Flores; solitarii, longe pedunculati, axillis inserti.

Radius; 5 florus, ligulis coccineo-aurantiacis, ovatis, tridentatis, stylis clavatis, nec revolutis.

Discus; flavus, multiflorus, tubis 5 dentatis, stylis concoloribus, simplicibus, abortientibus.

Receptaculum; planum, paleis stratum, floribus paullò majoribus, apice deauratis, obtusiusculis.

Pericarpium; drupa, ovata, compressiuscula, apice initio auriculata, in maturitate forcipata.

Nux; ossea compressa, etiam ovata.

Florebat aprili in margine densissimarum silvarum, prope ultimam cataractam fluminis Blanco, non longe à S. Jose del Corral. — Llav.

COGNITORUM JAM ANTEA GENERUM SPECIES NOVAE.

CONVOLVULUS SULPHUREUS.

Folia cordato-sagittata; filamenta, basi villosa; antherae retortae.

Caulis; volubilis, perennis. *Folia;* alterna, petiolata, acuta, cordato-sagittata, margine integro. *Flores;* axillares, ut plurimum tres, pedunculis propriis brevibus, communi petiolis multo longiori. *Calix;* 5 partitus, laciniis glabris, obtusis, adpressis, flavescentibus. *Corolla;* sulphurea, campanulata, limbo quinque-plicato, plica unaquaque in duas portiones rotundatas crenata. *Filamenta;* basi villosa, inclusa, autheris in spiram retortis. *Stylus;* filamentis longior. *Stigma;* capitula duo virentia. *Capsula;* sphaerica, extus nigra, velutina, bilocularis, 4 valvis, seminibus 4.

Habitat in muris S. Jose del Corral; floret februario. —*Llav.*

Congruentius convolvulis quam ipomoeis adjungenda.

MORENOA GRANDIFLORA.

Volubilis, foliis subhastatis, floribus puniceis, limbo explicato.

Caulis; teres, scaber, volubilis, perennis. *Folia;* alterna, juniora ovato-acuta, cordata, integra; adultiora; trilobatosubhastata, profunde cordata; omnia subtus glabra, supra molliuscula, longe petiolata. *Flores;* fasciculato-racemosi, pedunculis propiis brevibus, communi axillari, rigido, petiolis longiori. *Corolla;* punicea, bipollicaris, limbo explicato, incurva, compressiuscula. *Filamenta*; paullulum exserta, reclinata. *Calix*; pentaphy-

lus, foliolis sub apice corniculo carnoso donatis. Reliqua ut in genere.

Crescit in Mexico viciniis coliturque in hortis propter florum elegantiam, quos emittit junio julioque.—Llav.

GENTIANA CALICULATA.

Corollis quinque-fidis campanulatis; calicibus caliculatis.

Planta; bipedalis et ultra. *Radix;* tuberoso fasciculata, tuberculis elongatis, pendulis. *Caulis;* simplex, articulatus, rubidulus, erectus. *Folia;* opposita, sessilia, lanceolata, internodis longiora, trinervia, gradatim angustiora, marginibus aliquantulum revolutis. *Flores;* axillares oppositi, declinati, sessiles. *Calix;* monophyllus-tubulosus, 5-partitus, striatus, basi foliolis duabus connatis caliculatus. *Corolla;* monopetala, hypogyna, campanulata, punicea. tubus albovirescens, punctatus, calyce paulo longior: limbus profundè 5-partitus; laciniis subrotundis revolutis. *Stamina*; filamenta quinque subulato-depressa, tubo corolae inserta: antherae oblongae, exsertae. *Germen;* pedicellatum: stigmata duo ligulata, reflexa. *Capsula;* unilocularis, elongata, bivalvis, polysperma. *Semina;* linearia, minutissima.

Habitat propè Santa Maria, oppidum indianum juxtà Vallisoletum. Floret martio et aprili. — Lex.

GENTIANA MACROCALIX.

Corollis quadri-fidis infundibuliformibus fimbriatis; calycibus tetragonis subcampanulatis, costis elongatis, acutissimis.

Planta; gracillima 3-pedalis. *Radix;* tenuis perpendicularis, infernè fibrillosa. *Caulis;* simplex, cilindraceus, levitèr striatus, aliquando divisus, ramis oppositis. *Folia;* lineari-lanceolata, elongata, opposita, uninervia. *Flo-*

res; terminales solitarii, longissimè pedunculati. *Calyx*; subcampanulatus, tetragonus, albicans, segmentis quatuor elongatis acuminatis, costis dorsalibus virescentibus. *Corolla*; monopetala hypogyna, infundibuliformis, coerulea: tubus amplificatus albus, calyce brevior: limbus quadripartitus, laciniis fimbriatis revolutis. *Stamina*; filamenta quatuor, canaliculata, depressa, corollae tubo inserta: antherae lineares, non exsertae. *Germen*; oblongum. *Stigmata*: duo subrotunda, compressa. Reliqua ut in congeneribus

Habitat propè Vallisoletum, et Irapæum. Floret Novembri. — Lex.

PITCAIRNIA VALLISOLETANA.

Foliis ensiformibus, angustisimis, aculeatis; interioribus linearibus subulatis; floribus squama nectarifera destitutis.

Planta; perennis, vix pedalis. *Radix*; fibrae fasciculatae, capillares, crinitae. *Bulbi*; subrotumdi, confertissimi, basi foliorum amplificata tecti. *Folia*; ensiformia, angusta, canaliculata, sibi invicem incumbentia, ultra basim marginibus aculeata, aculeis recurvis: interiora subulata, incana, subleprosa, inermia. *Squamae*; inferiores sesquipollicares, imbricatae, pulverulentae, superiores sensim breviores. *Scapus*; pedalis, articulatus, incarnatus, incurvus. *Flores*; alternatim spicati, bracteis ovatis, concavis, levigatis coccineis, amplexicaulibus suffulti. *Calyx*; trigonus, tripartitus, coloratus, basi contortus. *Petala*; tria, calyce duplo longiora, rosea, lineari-lanceolata, apice obtusa, spiraliter convoluta. *Filamenta*; sex, filiformia, corolla breviora, receptaculo inserta. *Antherae*; lineares, sagittatae, elongatae, erectae. *Germen*; superum, trigonum, trisulcatum. *Stylus*; filiformis triqueter, longit. staminum. *Stigmata*; tria colorata, in spiram contorta. Reliqua ut in congeneribus

Habitat in montibus Vallisoletanis inter saxa. Floret Aprili. — Lex.

PANCRATIUM TRICHROMUM.

Spatha 5 flora, floribus umbellatis nutantibus: nectario brevissimo, denticulis furcatis, erectis.

Bulbus; ovatus. *Scapus;* anceps *Folia;* canaliculata obtusa, viridi-glauca, scapo parum breviora. *Flores;* subtripollicares, nutantes; inodori; *Tubus*; bipollicaris, obtuse trigonus, ad medium ampliatus, leniter puniceus, sulcatus *Laciniae limbi;* ovatae, suberectae, tres exteriores uncinatae, interiores acutae, omnes externé macula evato-oblonga virente, internè macula eadem albicante, lineis lateralibus virentibus, ornatae. *Nectarium*; brevissimum dentibus apice viridibus. *Stamina;* nectario multo longiora, erecta. *Antherae;* lineares, erectae, post deflorationem versatiles.

Colitur summo studio in Hortis Mexicanis, et reponitur frequentius in vasis futilibus ab pulchirtudinem florum; qui in diversis anni temporibus explicantur. Cerv.

CUPHEA LLAVEA.

Foliis ovato-lanceolatis, strigosis: floribus dipetalis.

Radix; fibrosa. *Caules;* plurimi, cylindracei, hispiduli, ramis paucis ascendentibus. *Folia;* opposita, subsessilia, ovato-lanceolata, strigosa, limbo integerrimo *Flores;* interfoliacei, solitarii, erecti, breviter pedunculati. *Calix;* fere pollicaris, tubulosus, striatus, basi gibbosus, dorso, fauceque purpureo fuscus, villosus, ventri virescens, ore sex-dentato. *Petala;* duo superiora magna, obovata, dilute coccinea, unguibus acutis, macula nigra inferne terminatis: rudimenta caeterorum petalorum, dentibus calycinis alterna, raro observantur. *Stamina;* filamenta undecim purpurescentia fauce calicis inserta, quorum: tria intermedia alternatim longiora, nuda: qua-

tuor alterna paululum villosa: duo externa valdè lanata; infima verò infrà seriem inserta. *Antherae;* subsagittatae, cœruleo purpureae, sulcatae. *Germen*; superum oblongum. *Stylus*; filiformis subulatus, calyce longior. *Stigma*; incurvum. *Capsula*; oblonga tecta calyce, simulque cum illo dehiscens. *Semina*; plurima lenticularia, emarginata.

Habitat in montibus propé Vallisoletum. Floret martio et Aprili.

Hanc novam Micciacanau stirpem, Paulo de la Llave amico et socio dedicat J. de Lexarza.

CUPHEA BUSTAMANTA.

Foliis cordato-ovatis, acuminatis, parallelinerviis: floribus dipetalis; dentibus calycinis externis valdè elongatis.

Radix; fibrosa, repens. *Caules:* herbacei, procumbentes, colorati, teretes, ramis ascendentibus. *Folia;* opposita, cordato-ovata, acuminata, breviter petiolata, interdum rubentia, hispidula, uninervia, ramulis nervosis, parallelis. *Flores*; interfoliacei, terminales, penduli. *Calix*; pollicaris, liber, dilutè coccineus, tubulosus, striatus, ad os amplificatus, pilosus, basique gibbus, duodecimdentatus, persistens; dentibus sex externis virescentibus ligulatis, sulcatis, obtusis: fauce duplici macula albicanti, vel potius dentibus duobus albis propé petalorum insertionem notata. *Corolla*; petala duo superiora obovata, atro-purpurea, ferè nigra, velutina, summo calyci inserta: squamulae quatuor petaliformes, vix perspicuae, lutescentes, erectae, dentibus interioribus calycinis alternae. *Stamina*; filamenta novem purpurascentia medio calycis inserta, alternatim inaequalia, exserta. *Antherae;* ovatae, coeruleo-purpureae, sulcatae. *Pollen;* album. *Germem:* superum, basi glandula cordiformi gibbosum. *Stylus;* subulatus, post fecundationem valde exsertus. *Stigma;* simplex. *Capsula;* oblonga simul

cum calyce dehiscens. *Semina;* lentiformia maculata.

Habitat propè Vallisoletum. Floret toto anno. [*Var. petalis violaceis aut roseis, linea longitudinali purpurascenti.*]

* *Planta dignissimo amico D. Josepho Mariae de Bustamante scientiis ingenuis, botanica et mineralogia peritissimo, consecrata. Lex.*

AMORPHA RABIAE.

Dentibus omnibus calycinis obtusis: floribus racemosis.

Planta; herbacea? bipedalis. *Caulis;* teres, cicatriculis foliorum scaber, laevigatus. *Folia;* alterna, imparipinnata, foliolis ovatis, tomentosis, acutis. *Racemi;* ad axillas fasciculati, bracteis acutis, brevissimis. *Flores;* albidi. *Calix;* cyathiformis obscuré 6-dentatus, limbo irregulari truncato, extus tomentosus, dentibus obtusis *Corolla;* petalum unicum obovatum vel cuneiforme; lamina alba, rugata, subcarinata; ungula longitudine calycis receptaculo inserta. *Stamina;* hypogyna, 6-11 filamentis subulatis, inaequalibus, infra pedicellum germinis inserta: antherae oblongae, lutescentes. *Germen;* superum reniforme, pedicellatum lana vel tomento sericeo tectum. *Stylus;* brevissimus incurvus: *Stigma;* incrassatum. *Pericarpium;* legumen monospermum, extus glanduliferum. *Semen;* reniforme.

Habitat propé Vallisoletum in Monte vulgo de Quinzeo, *ubi eam invenit* D. Emmanuel de Rabia, *in arte picturae eximius. Floret februario. Lex.*

SIMPLOCOS CITREA.

Foliis ovato-oblongis, subserratis, subtus pilosis: floribus aggregatis, sessilibus, nudis.

Arbor: procera, trunco scabro. *Rami;* alterni, teretes, glabri: juniores rufiduli, tomentosi. *Folia;* alterna, ova-

to-oblonga, petiolata, subserrata, tum obtusa, tum breviter acuminata, subtus rufo-pilosa, aspera; suprà nitida glabra. *Petioli*; breves, tomentosi, rufescentes. *Flores*; quatuor ad septem, rosei, sessiles, aggregati valdé odorati, bracteis destituti. *Calyx*; monophyllus pubescens, foliolis vel laciniis quinque obtusis margine coloratis. *Corolla*; monopetala rosea 5-fida: tubus brevis amplificatus; laciniae obtusae, reflexae, apice concavo. *Stamina*; filamenta quadruplici serie disposita, monadelpha, apice attenuata. *Antherae*; erectae, lutescentes. *Ovarium*; inferum, disco annulato cinctum. *Stylus*; basi villosus non exsertus: *Stigma*; viride, capitatum, obscure trigonum. *Pericarpium*; drupa olivaeformis, subcarnosa, dentibus calicinis coronata. *Nux*; oblonga, durissima 3-locularis; loculis monospermis.

Habitat in montibus propé Vallisoletum, juxta Chaqueo; *floretque autumno.*

Vernaculé Garrapata Xaboncillo.

Obs. *Verè nova species à caeteris ejusdem generis à Cl. Humboldtio* (Pl. aequin. Vol. I p. 180) *numeratis omninó diversa, eamque odoris similitudine, florum dispositione, figura, nitoreque foliorum, nomine triviali* Citrea *distinguere non dubitavi. Lex.*

VERNONIA STELLARIS.

Arborea; foliis alternis lanceolatis, floribus in paniculis spicatis, flosculis incurvatis.

Frutex; arboreus, ramosissimus, ramis junioribus tomentosis. *Folia*; alterna breviter petiolata, ut plurimum lanceolata, superiori pagina pilorum vestigiis quasi granulosa, inferiori, tomento obsita fuscescenti, marginibus revolutis; juniora integra, adultiora uno alterove denticulo papillaeformi praedita. *Inflorescentia*; in ramorum summitatibus, paniculae tomentosae, spicatae, dichotomae, ad florum insertionem flexuosae. *Flores*; odoratissimi, sessiles, verticales, calicibus campanulatis, im-

bricatis foliolis acutis, rigidulis, pilosis, centro viridi-rubentibus. *Flosculi*; albi aut roseo tincti, tubis extus incurvatis, (ex quo forma stellaris) limbi dentibus adproximatis, conniventibus. *Receptaculum*; squamis minutis cellulatum.

Floret februario et martio in pascuis S. Jose del Corral. Flores vanillae odorem intemse redolent. Llav.

VERNONIA FRAGRANS.

Folia sublanceolata; calix ventricosus; flores spicati.

Caulis; fruticoso-sarmentosus, ramis alternis. *Folia*; sublanceolata, integra, alterna, scabriuscula, breviter petiolata, exsucca, margine revoluta, subtus subnuda nervo primori eminenti, lateralibus arcuato-parallelis. *Inflorescentia;* spicae non raro compositae, ut plurimum simplices, quibus flores sedent distantes, unilaterales, albi, odoratissimi. *Calix*; ventricosus imbricatus multiflorus. *Receptaculum*; scabrosum. Reliqua ut in genere.

Planta a V. odoratissima *Humboldtii satis ut liquet distincta, inter congeneres notabilis est, florum magnitudine, insertione unilaterali, et intensissimo vanillae odore. Crescit S. Jose del Corral ad vias in montosis, floretque februario. Llav.*

TURPINIA? TOMENTOSA.

Caule tomentoso inermi: foliis ovatis transversé venosis, subtus lanatis; floribus corymbosis, calicibus unifloris.

Frutex; bi-aut triulnaris, alpinus, inermis. *Caules*; plurimi, cylindracei, ramosi, infernè nudi. *Rami*; álterni, lanati, ad extremitatem foliosi. *Folia*; ovata, alterna, brevi-petiolata, subtus tomentosa, limbo integerrimo; ramea tri-quadripollicaria et amplius; floralia minima. *Corim-*

lus; terminalis, nitidus, floribus fasciculis pedicellatis congestis. *Calyx*; polyphyllus, imbricatus; foliolis ovato-acutis puniceis, apice villosis, externis minoribus. *Corolla;* flosculus unicus, albo-violaceus, tubulatus, quinquefidus, in singulo calyce. *Stamina*; quinque, medio corollae inserta, capillaria. *Antherae*; cylindraceae, albicantes. *Ovarium;* oblongum, subvillosum. *Stylus*; filiformis. *Stigmata*; duo, revoluta. *Semina*; oblonga, pappo piloso, dentato, multiradiato coronata. *Receptaculum*; nudum.

Habitat in monte excelso de Quinzeo *propé Vallisoletum; floret januario. Lex.*

Obs. *Stigmate bifido, pappoque non plumoso, tantum differt á Turpinia Humboldtii.* (Pl. aequin. t. 1. pag.)

PEREZIA TURBINATA.

Foliis amplexicaulibus coriaceo-membranaceis, dentatis; caule simplici subtrifloro; floribus terminalibus; calyce communi turbinato.

Planta; pedalis et ultra. *Caulis*; simplex coloratus, leviter striatus, erectus. *Folia*; alterna, ovata, acuta, coriaceo-membranacea, reticulata, amplexicaulia, sinuato–dentata, dentibus spinosis. *Flores*; tres ad quinque terminales, pollicares, pedunculis brevibus. *Calix*; turbinatus, imbricatus, multiflorus: squamulae lanceolatae, limbo scarioso; interiores longiores, apice purpurascentes *Corolla*; radialis, purpureo-violacea, composita, aequalis. *Corollulae*; tubulosae, bilabiatae, trifidae, laciniis linearibus; externa ampliore tridentata; externis duabus ad spiram revolutis. *Stamina;* filamenta quinque, interiori corollulae tubo infra laciniarum divisionem inserta. *Anthera*; cylindrica, basi setis decem capillaribus decurrentibus. *Ovarium*; cylindraceum, subvillosum. *Stylus;* filiformis exsertus. *Stigmata*; duo revoluta. *Semina*; oblon-

ga. *Pappus;* sessilis, setaceo-pilosus, dentatus. *Receptaculum*; planum, nudum, punctatum.

Habitat propè Vallisoletum et la Jordana. *Floret octobri et novembri. Lex.*

PEREZIA FRUTICOSA.

Foliis amplexicaulibus coriaceis, reticulatis, nitidis; caule fruticoso, ramoso, multifloro; floribus corymbosis; calyce communi cilindraceo.

Frutex; orgyalis alpinus. *Caulis*; ramosus, striatus, purpurascens. *Folia*; caulina, alterna amplexicaulia, subrotunda, coriacea, reticulata, nitida, obtusa, serrata, dentibus spinosis; floralia acuta, edentata .*Flores*; corymbosi, confertissimi. *Calix;* communis, cylindricus, imbricatus, multiflorus: squamulae ovatae subcoloratae, limbo lanuginoso. *Corolla;* radialis, rosea, composita, aequalis. *Corollulae*; parvae, bilabiatae, trifidae. Reliqua ut in praecedenti.

Habitat, floretque simul cum turbinata, in montibus Vallisoletanis. Lex.

PEREZIA MOSCHATA.

¿AN GEN. NOV?

Caule simplici; foliis alternis subimbricatis; floribus thyrsoïdeo-corimbosis, thyrso composito; calicibus communibus oblongis, foliolis linearibus.

Planta; 3-4 pedalis, foliis, floribusque tyrsum longissimum efformantibus. *Caulis*; simplex erectus. *Folia*; alterna, sessilla, subrimbricata, ovata, amplificata, scarioso-membranacea, reticulata, laevigata, serrata, apice, dentibusque acuta; superiora sensim minora. *Thyrsus;* oblon-

gus, pedalis et ultra, corymbis florum confertissime compositus. *Corymbi;* axillares, multiflori, bracteati, pedicellati. *Bracteae;* ovato-lanceolatae, rigidae, acutae. *Calix;* communis, oblongus, imbricatus, foliolis linearibus, acutis, apice reflexis. *Corolla*; radialis, violacea, octo-decem-flora; flosculis bilabiatis ut in caeteris hujus ordinis. *Stamina*; antheris cylindraceis, setis decurrentibus *Ovarium*; cylindraceum. *Stylus;* filiformis. *Stigma;* bipartitum. *Receptaculum*; nudum.

Habitat in montibus Vallisoletanis. Floret hiberno tempore. Vernaculé Cola de Zorra. *Lex.*

Obs. 1. *Planta tota odorem fortissimum Musci spirat unde nomen.* 2. *Squamis calycinis non scariosis differt a* Perezia: *calyce oblongo non hemisphaerico, cauleque non lanato á Leucheria; pappo sessili, setisque staminum à* Dolichlasio: *figura denique calycis, lacinisque ipsius à Proustia, ¿An genus novum?*

PERDICIUM CORDATUM.

Foliis cordato-oblongis, amplexicaulibus, minutissime dentatis; caule herbaceo, simplici, stricto.

Herba; tripedalis. *Caulis*; simplex, strictus, teres, glaber, atropurpureus. *Folia*; cordato-oblonga, alterna, subimbricata; inferiora ovalia; superiora acuta, membranaceo-coriacea, minutissime dentata, utrinque glabra, nervo unico intermedio crasso atropurpureo. *Pedunculi*; terminales corimbosi. *Flosculi*; labiati, purpurei, inodori.

Habitat in montibus del Desierto Mexico viciniis, floretque novembri. Cerv.

TRIXIS MEXICANA.

Caule suffutricoso, ramoso: foliis lanceolatis: floribus corymbosis.

Planta; suffutricosa, tripedalis et ultra. *Radix*; fibrosa. *Caulis*; cylindricus supernè alatus, ramis alternis. *Folia*;

alterna, lanceolata, subtus tomentosa, supra nitida, integerrima, petiolis decurrentibus:: floralia linearia sparsa. *Flores;* terminales, corymbosi luridi, ad marcescentiam albicantes. *Calyx*: cylindraceus, octophyllus, basi foliolis quinque linearibus patulis calyculatus. *Corolla*; radialis, composita: flosculi labio inferiori bifido, superiori tri-dentato. *Stamina*; anthera cylindrica basi setis decem capillaribus. *Ovarium*; oblongum. *Stylus*; filiformis. *Stigmata;* duo revoluta. *Receptaculum*; pilosum. *Semina;* pappo sessili, setoso denticulatoque coronata.

Habitat in urbe Vallisoleti, propè Cœnobium de Cosamaluapan *dictum. Floret octobri et novembri. Lex.*

TRIXIS MICHUACANA.

Caule simplici herbaceo: foliis ovatis: floribus thyrsoïdeis.

Chenanthophora; herbacea, viscoso-resinosa, graveolens *Radix*: fibrillosa lutescens. *Caulis*; simplex cylindraceus, tomentosus, triquadri-pedalis, erectus. *Folia*; sessilia, alterna, ovata, punctata, subtus villosa: floralia gradatim minora. *Flores*; thyrso magno conico-oblongo, subpedali, ramuloso dispositi. *Calyx*; communis cyathiformis, prismaticus octo-phyllus; foliolis erectis; calyculatibus quinque ovatis amplicatis cinctus. *Corolla*; composita radialis aurea; flosculis bilabiatis, lacinia inferiori bifida, spiraliter revoluta: superiori erecta tridentata. Reliqua ut in praecedenti.

Habitat propè Vallisoletum. Floret januario. Lex.

SPILANTHES NITIDUS.

Volubilis, foliis oppositis integris; calicibus imbricato-caliculatis; seminibus ciliatis et biaristatis.

Caulis; teres, striatus, fruticulosus, volubilis. *Folia*; opposita, ovatolanceolata, per petiolum brevem decur-

rentia, utrinque glabra, nitida, integra, margine revoluta; adultiora, uno alterove denticulo praedita. *Inflorescentia*; corimbis terminalibus et axillaribus. *Calix*; de medio ad imum, foliolis ovatis argutissime ciliatis imbricatus. *Flores*; discoidei, tubis albo-flavescentibus, pistillis et antheris aureis. *Semina*; biaristata, compressa, margine ciliata.

In speciminibus siccis folia, juniora praesertim, olivaceo et etiam cuprino nitore splendentia adparent.

Crescit in S. Jose del Corral ad vias in montosis; florebat martio et aprili. Llav.

CACALIA SINUATA.

Foliis sinuato-pinnatifidis, pinnis lobatis, aliquantulum dentatis.

Radix; fibrosa perennis. *Caulis*; 3-4 pedalis, teres, glaber, striatus, subnudus. *Folia*; sinuato-pinnatifida, sinubus rotundatis, integerrimis, fere omnia radicalia, longe petiolata, petiolis amplexicaulibus; caulina, amplexicaulia ovato-acuminata, apicibus parum dentatis remotissima, omnia glabra. *Pinnae*; ad extremum trilobatae, lobis uno alterove denticulo notatis. *Pedunculi*; paniculato-corimbosi. *Flores*; albo lutescentes.

Habitat in montibus del Desierto de S. Angel prope Mexicum, totaque aestate floret. Cerv.

CINERARIA PINNATA.

Caulis simplex; folia pinnata; calix octopartitus.

Caulis; simplex orgialis. *Folia*; alterna, impari-pinnata, inferiora rachide striata bipalmari; superiora, palmari; foliola; etiam alterna, brevissime petiolata succulenta, sublanceolata, glabra, margine dentibus distantibus serrata. *Inflorescentia*; umbellulis terminalibus. *Ca-*

lix; cilindraceus, octopartitus, (an potius octophyllus?) laciniis acutis. *Discus*; flavus; 20-florus, tubis 5-dentatis. *Radius*; semiflosculosus, 5 florus, concolor. Reliqua ut in genere.

Crescit ad umbram in petrosis, eamque martio florentem inveni, in declivitate quae ducit ad ultimam cataractam fluminis Blanco. Llav.

ANTHEMIS LUTESCENS.

Foliis alternis, lanceolatis, tomentosis; caule suffruticoso.

Suffrutex; 3–5 pedalis, ramosissimus, odoratus. *Folia*; alterna, lanceolata, obtusiuscula, integra, inferne tomentosa, superne viridi-lutescentia, pube tenuissima induta, petiolis brevissimis. *Pedunculi*; terminales, subcorimbosi, glabri. *Calices*; subaequales, foliolis ovatis *Discus*; multiflorus, luteus. *Radius*; concolor, semiflosculis integris aut bidentatis. *Receptaculum*; conicum, paleis ad apicem inaequaliter dentatis.

Frequentissima in aridis collibus de Guadalupe prope Mexicum. Floret augusto septembri et octobri. Cerv.

Folia et flores fragrantissimum odorem Abrotani aemulum spirant, pro quo substitui possunt in officiniis Mexicanis.

ANTHEMIS SINUATA.

Foliis pinnatis; foliolis sinuato-repandis; caule erecto; floribus subpaniculatis.

Herba; sesquipedalis. *Caulis*; ramosus, teres, pubescens, leviter striatus. *Folia*; alterna, pinnata, foliolis sinuato-repandis, villosis. *Calix*; polyphyllus, foliolis alternis, brevioribus. *Semiflosculi*; lutei, frequentius bidentati. *Radius*; concolor. *Paleae*; disci tridentatae.

Viget in collibus de los Remedios, San Angel &c. aestate florens. Cerv.

TAGETES SUBULATA.

Foliis pinnatis, foliolis subulatis, floribus longissime pedunculatis.

Caulis; bipedalis, ramosus, glaber. *Folia*; pinnata foliolis subulatis. *Pedunculi*; terminales, longissimi, uniflori. *Discus et radius*; lutei, semiflosculis obcordatis. *Calices*; oblongi, ventricosi, maculis oblongis luteis verticalibus ornati. *Pappus*; paleaceo-aristatus, arista una longiori.

Habitat in Sanctuario de Chalma, floret hyeme. Cerv.

COREOPSIS TETRAGONA.

Foliis oppositis lanceolatis serratis integrisque, caule tetragono.

Radix; fibrosa. *Caulis*; tetragonus 3-5 pedalis, striatus, glaber, ramis oppositis, erectis. *Folia*; opposita lanceolata, inferiora serrata, superiora integra, utrinque glabra, petiolis brevibus subconnatis. *Pedunculi*; terminales, longissimi, solitarii. *Calix*; exterior; pubescens, viridis, foliolis linearibus ciliatis; interior; foliolis oblongis lutescentibus. *Radius*; 8-florus, semiflosculis ovatis, striatis, crenatis, bidentatis, luteis. *Discus*; concolor. *Semina*; oblonga, compressa, striata, biaristata. *Aristae*; setis brevioribus retroflexis munitae. Reliqua ut in charactere generico.

Frequentissima in pratis humidis et in defossibus Mexico viciniis. Floret tota aestate. Cerv.

NOCCA LATIFOLIA.

Caule fruticoso, foliis supra basim ampliatis, acutissimis, 3-plinerviis, subconnatis.

Frutex; a radice ramosus ad altitudinem ulnarum quatuor assurgens. *Caules*; teretes, pubenter scabri. *Folia*;

opposita, amplexicaulia, subconnata, propé medium ampliata, ex hoc puncto folium ovato-acutissimum repraesentantia, membranacea, scabra; inferiora ad medium caulis majora, distanter breviterque dentata: superiora; integra, parumper undulata. *Pedunculi*; axillares, terminalesque, frequentisime tres in extremitate ramorum, flosculis breviores, pubentes. *Calix*; communis 5-8 phyllus, foliolis omnibus oblongis, acuminatis, inaequalibus. *Flosculi*; plures discoidei, albi. *Tubus*; ad originem filiformis, ad medium ampliatus, tubulosus, limbo quinque dentato. *Antherae*; pallescentes, tenues, extra tubum. *Pistilla*; flosculis, duplo longiora. *Stigmata*; insigniter revoluta. *Receptaculum*; favosum, nudum, palea una alterave, quandoque ornatum, alveolis ciliatis. *Semina*; oblonga, compressa, basi acutiuscula, nigra, intra calycem propium recondita. *Pappus*, corona duplici una intra alteram ex membrana tenui multipliciter ciliata conflatus.

Habitat in horto Mexicano. Floret toto anno. Cerv.

INDEX

NOVORUM GENERUM.

NOVORUM VEGETABILIUM DESCRIPTIONES.

IN LUCEM PRODEUNT

OPERA

PAULLI DE LA LLAVE

ET IOANNIS LEXARZA

REIP. MEXIC. CIV.

FASCICULUS II.

SEXAGINTA DESCRIPTIONES COMPLECTENS

QUARUM TREDECIM

TOTIDEM GENERA NOVA

EXHIBENT.

Mexici: Apud Martinum Riveram.

ANN. DOM. M.DCCC.XXV.

JOANNES LEXARZA mecum amicitia conjunctus, ac in fasciculorum elucubratione collaborator diligentissimus et expericntissimus, cum *Orchidianum* ejus opusculum sub praelo jam esset, novamque in posterum plantarum supellectilem pararet, in dirum ac diuturnum implicitus morbum, ac tandem viribus postratis ac penitus consumptus, calendis septembris anni superioris excessit è vivis. Extinctum est apud nos botanicae lumen; luget Michuacanae conventus virum, quaem patriae patrem decet apellare, nosque omnes ad quos tan emeriti civis notitia pervenit, huic parem diu desiderabimus. Sed ab initio est ordiendum. Lexarza Vallisoleti Michuacanensium anno milessimo septingentessimooctogessimo quiuto è familia genere et opibus valenti editus est, atque initio his doctrinis, quibus ingenua pueritia impertiri solet, post vero Peripateticorum Philosophiae (sic enim illorum temporum conditio ferebat) deditus, nobilis inter aequales aestimabatur, facillimeque condiscipulos antecellebat. Duodecimum aetatis agebat annum, cum ad illud mexicanum Liceum translatus est, cui maxumam peperere celebritatem, et hispanus Delrio, qui summa cum laude triginta ab hinc annis mineralogiam profitetur, et Oteiza, Chovel, et

Valencia mexicani, quorum primus nulli geometrarum secundus fuit, reliqui vero in scientia mineralogica principes, atque in odium libertatis, á *Realistarum* ferocia trucidati, academiae palmam cum clarioribus triumphis conjunxere. In percelebri isto Seminario, physicis, mathematicis ac delineatorum arte decem et octo mensium spatio se exercuit, ac in certamen vocatus, Humboldtium interrogatorem habuit et laudatorem; sed scholam relinquens, nec mineralogistarum curriculo confecto, in domum revocatus, familiaribus intentus negotiis, ac studia intermittens, ingloriam aut non satis illustrem transegit adolescentiam. In vigessimo vitae suae versabatur anno, cum beatitatis domesticae jacturae solatium quaerens, iterum se ad studia revocavit: poetas et oratores avidissume perlegit, identidem historiam addidiscit, et musicis se dedit, in quibus ductore usus est percelebri Michuacanensi *Elizaga*, quem natura musicum finxit, doctrina vero ad culmen artis evexit: sic et ligata componendo oratione, et gallorum vertendo libros, et musica ludendo instrumenta, ad majora se insciente parabat, et pessundatum moerore animum reficiebat. Adventante per id temporis amico, ab eoque in botanicae eruditus elementis, nec æri nec fractae parcens valetudini, tan ardenter huic se contulit studio, ut brevi intervallo scientissimus in re herbaria existimaretur; nec reliquas aspernabatur naturalium rerum disciplinas (una excepta mineralogia à qua instinctu quodam abhorrebat) aliosque eadem vi ac constantia suscipiebat labores, quo factum est, ut paucis annis, pro-

piis impensis, seque magistro et ductore, Michuanensium vegetantia et animantia quamplurima collegerit ac descripserit, ejusdem ditionis *Estadisticam* composuerit, ac geographicam chartam magna ex parte invenerit, atque industrie elaboraverit. Pulchra sunt haec, dignaque ut summis prosequantur laudibus, sed pulchrius magisque gloriosum, se totum reipublicae conferre, salutem civium ac commoda procurare, se suaque oblivisci, ut communibus consulatur rationibus; quae quidem omnia tanta animi contentione in vita Lexarza perfecit, ut potius quam vi morbi, laboris pondere obrutus ac sublatus predicari possit.

Ad haec honores non petiit cum paterent, sed ultro ei à concivibus, reipublicaeque rectoribus sponte delati sunt. Sic ter eum Vallisoletani electorem popularem constituerunt, et aedilis factus est, et conlegii provincialis VII vir, ac tandem ad Supremum Michuacanensem conventum apellatus; jam vero et Tejas praefecturam, et honorificentissimarum legationum à secretis esse, quoniam id dimittere licebat, recusavit. Militiae, cum inter pueros adhuc versaretur, licet ingenii docilitate dulcissimisque reluctantibus moribus adscriptus, ad *prochiliarchi* gradum mature, nec intercedente favore pervenit, tuncque uti vicarius collegio cooptatus est cui castrorum praefectura committitur, itinerariumque militare scripsit, quod summa cum laude supremus rei bellicae senatus excepit, atque probavit. Sed ante quam finem faciam, (vereor enim ne cum talis personae amplificare velim, minuam gloriam) illud unum minime pretermitten-

dum est, quod Lexarzam maxime ornat atque commendat, quodque uno ictu quantus qualisque fuerit ostentat apertissime: equidem vir modestus, temperans, mitissimus, nec audaci praeditus natura, patriae tamen agitatus amore, libertatis partes ardentissime amplexatus est, atque optimis et animosis secundatus civibus, iturbidianum apud Michuacanenses imperium labefactavit, funditusque evertit.

Lexarza igitur praestantissimo atque incomparabili extincto cive, ¿quid aliud restat, nisi ut illius memoriam quantum in nobis sit decoremus, utque immortalem in fastis saltem botanicae reddamus? quod profecto, ¿cui potius quam mihi, amico, collaboratori, et orchidianarum ejus iconum naturae coloribus expressarum haeredi, aut quando magis usurpandum est, quam cum editam Stadisticam ejus vidimus, orchidianumque opusculum hoc fasciculo traditum exhibemus? Quae cum ita sint officio me satisfecisse aestimo, cum plantam nomini ejus nuncupo, statura proceram, floribus ornatam odoratissimis, familia singularem admodum, omnibusque numeris raram, et magnificam: etenim piramidalis funebris arboris aspectus, et luctum nostrum exprimit, et quod gloriosum illi nomen, aeternamque beatitatem exoptamus. Mexici idibus Januarii anni M.DCCCXXV.

NOVORUM VEGETABILIUM DESCRIPTIONES.

TRUJANOA.

Pentandria monoginia. Calix duplex. Antherae sessiles, glandulis alternantes. Fructus, lentiformis.

T. PINNATA.

Arbor mediocris et ramosa, foliis vestita alternis, imparipinnatis, foliolis ovatis, oppositis, breviter petiolatis, integris, supra glabris, subtus pubescentibus.

Inflorescentia; spica subpinnata, spiculis alternis, petiolis communibus axillaribus et terminalibus insertis.

Flores; minuti.

Calix; duplex, exterior 3-fidus spiculae insidens; interior 5-fidus.

Corolla; penta petala, foliolis albis, erectis, ovatis.

Antherae; quinque, subsessiles, glandulis 5- rubris alternantes.

Stylus; brevissimus, stigmate trifido, ovario depresso.

Semen; unicum, subcorneum, figura et magnitudine lenti simile, visco indutum, pellicula in maturitate rubra tectum.

Martio florentem inveni ad ripas *Huehueyapan, ad S. Josephum del Corral.*

Valerio Trujano Axuchitlanensi, inter primos mexicanae libertatis defensores spectatissimo, ipsi, quod bellicis jam antea factis illustris, Huajuapan et fame aflictam, et dura obsidione pressam, parva nec veteranorum manu, mensibus quinque tectam sustinuit, ac tandem incolumen servavit.—D.—Ll.

CASIMIROA.

Pentandria monoginia. Calix quinquedentatus. Corolla quinquepetala. Filamenta receptaculo inserta. Bacca pulposa pentasperma.

C. EDULIS.

Arbor; ramosa et mediocris, foliis instructa pinnato-palmatis, foliolis 5-7-petiolatis, lanceolatis, glabris, integris, subvitellinis, longitudine 3-4-pollicaribus.

Flores; in racemum dispositi.

Calix; brevis, quinquedentatus.

Corolla; pentapetala, foliolis albescentibus, revolutis.

Filamenta; quinque, subulata, receptaculo inserta, corollae subaequalia.

Germen; haemisphaericum, stigmate sessili, obscure quinque-partito.

Pericarpium; bacca subglobosa, pulpa sapidissima referta, malorum fructum magnitudine ut plurimum excedens.

Semina; quinque, pollicaria, cortice vitellino induta.

Habitat in callidis et temperatis regionum nostrarum, flores vere emittens. *Istactzapotl* Mexicanorum, hispanice *zapote blanco* audit.

In botanicorum libris, in his saltem qui ad nos pervenerunt, minime hujus plantae mentio fit, quod mirum fortasse videbitur si proceritatem ejus spectemus, et suavitatem fructuum qui ubique in emporiis venditantur.

Casimiro Gomez, ad Cardonal ex tribu Ottomitarum edito, viro sobrio ac temperanti, in gerendo bello, promto, sagaci animosissimo, ipsi, quod á luxu abhorrens, et se et milites suos humili victu ac vestitu conservans ac ducens, exigua Ottomitarum manu, innumerabilia ac gloriosissima pro patriae bono gesserit,—D. Ll.

CALIBRACHOA.

Pentandria monogynia. Habitus convolvuli. Perianthium pentaphyllum. Corolla monopetala, fovea excavata in lacinia inferiori. Capsula unilocularis, bivalvis.

C. PROCUMBENS.

Caulis; 1-2-pedalis, teres, procumbens (quandoque repens), ramis alternis subdichotomis.

Folia; alterna, oblonga, integerrima, glabra.

Flores; solitarii, parvi, violacei, pedunculis foliis brevioribus ex dichotomia enatis.

Perianthium; pentaphyllum, foliolis linearibus, integris, erecto-patentibus, subaequalibus, longitudine corollae.

Corolla; monopetala, infundibuliformis, tubo tere tiusculo, brevi, fauce angulata, limbo plicato quinquelobo, lobis ad medium cordato-acuminatis, fovea excavata in lacinia inferiori, intus palati instar prominenti.

Filamenta; quinque, inaequalia, ad basim tubi, illoque breviora, antheris subrotundis.

Germen; conicum, stilo filiformi longitudine staminum stigmate obtuso.

Capsula; conica, unilocularis, bivalvis, seminibus plurimis, angulosis, receptaculo conico affixis.

In arvis Mexicanis frequens. Floret tota aestate.

In honorem Antonii de la Cal et Bracho, horti Matritensis alumni, horti Mexicani socii, Pharmaciae. Chemiae et botanices optime meriti Profesoris.—Cerv. D.

JULIANIA.

Decandria monogynia. Perianthium pentaphyllum foliolis oblongis deciduis. Corolla pentapetala, patens. Filamenta decem subulata alterna breviora. Antherae tetragonae, quadrisulcatae. Ovarium globoso-pyramidatum, ad medium quinqueangulatum. Stilus brevissimus. Stigma capitato pentagonum. Capsula quinquelocularis quinquevalvis.

J. CARYOPHILLATA.

Frutex; elegans, 5–7 pedalis, ramosissimus.

Rami; alterni, sparsi, frequentius subcymosi, antiquiores teretes, juniores parum compressi, pubescentes.

Folia; alterna oppositaque, ternata, rarissime digitata, foliolis nunc obovatis, nunc subspathulatis, nunc denique oblongis, intermedia longiore, integerrima, glabra, parum ciliata, utrinque glandulis plurimis translucidis conspersa.

Petioli; communes longitudine foliorum, partiales nulli, foliis simplicibus oppositis exceptis, quae petiolo breviori ornantur.

Pedunculi; cymosi, longissimi, paniculati, 4-6-flori, pubescentes, bracteis oblongis, acutis, ciliatis, villosis, instructi.

Calyces; corolla breviores, foliolis glandulosis, ciliatis, patentibus.

Petala; ovalia, glandulosa, apice dente obliquo notata, candida, odorata.

Stamina; compressa, crasiuscula.

Stilus; teres, villosus: stigma quinquestriatum, villosum.

Semina; ovata, duo in singulo filamento; haec omnia in germine visa, pericarpia enim nunquam ad maturitatem perveniunt.

In hortis Mexicanis magno praetio habetur, et ab Indorum gentibus ad exornanda altaria diligentissime colitur, in emporiisque ad hoc usum magna copia venditatur. Folia masticata saporem Caryophilli aromatici aemulum praebent, propter quod *Yerba del Clavo* aut *Flor de Clavo* communiter audit. Floret tota fere aestate.

Obs. *Genus Fagoniae affine, differt tamen ab illo, petalis, staminibus, antheris et stigmatibus.*

Juliano Cervantes, Vincentii filio, praesbitero mexicano; Phisicae, Chemiae, ac Pharmaciae cultori egregio, ipsi, quod in re herbaria versatissimus, in Mexici horto, moderatoris vices, per multos annos, summa cum laude gesserit.—D. Llav.

LEONIA.

Didynamia gynospermia. Habitus salviae. Perianthium monophyllum labio superiore truncato. Corolla monopetala labiata ringens. Stamina duo superne furcata. Semina quatuor oblonga.

L. SALVIFOLIA.

Herba; pedalis, ramosa, pubescens, caule tetragono, ramis brachiatis.

Folia; cordata, crenata, rugosa, pubescentia, petiolata.

Flores; eleganter rubri, per verticillos 5-6-florum pedunculatos dispositi, et bracteis ovato-acuminatis sessilibusque instructi.

Perianthium; monophyllum, striatum, bilabiatum, labio superiori truncato tridentato ascendente, inferiori bidentato dentibus acutissimis longioribus.

Corolla; monopetala, ringens, tubo brevissimo, fauce sensim ampliata, striata, subtrigona, rictu subrotundo, labio inferiori trifido, lacinia intermedia majori emarginata, superiori erecto, carinato, emarginato, breviori.

Stamina: duo, fauci corollae ad latus labii inferioris inserta, superne furcata, antheris quatuor oblongis, quarum singula in qualibet divisione filamenti.

Ovarium; superum, tetragonum, stilo filiformi, corolla longiori, stigmate trifido, lacinia inferiore majore.

Habitat in *Praesidio de Sancta Rosa*, ad Chiguaguam. Floret vere.

Genus dicatum D. Ignatio Leon. ex nobilium Tlaxcaltecarum genere, et Chimalpopocarum sanguine orto, Pharmacologiae et Botanices Profesori, qui plurimis seminibus novorum generum et specierum in Praesidio de Sancta Rosa collectis, hortum Mexicanum ditavit.—Cerv.

LEXARZA.

Monadelphia poliandra. Calix bracteolis caliculatos. Corolla 5-petala. Glans monosperma calice cincta.

L. FUNEBRIS.

Arbor; procera e ramis deorsum versis compactum conum ad terram usque productum exhibens. Altitudo coni 60 ped. Diameter basis 36 ped. Diameter trunci ¾ ulnae Circumferentia fornicis seu camerae provenientis e ramis inferioribus qui ad altitudinem trunci 6 ped. inserti, alia vero extremitate ad terram pertingunt, 108 ped.

Folia; alterna, sublanceolata, acuminata, integra, glabra, subtus ad nervorum angulos tomentosa, petiolo donata brevi; mediocria, longitudine 12, majora 16-pollicaria.

Flores; solitarii, subsessiles, suaveolentes, nunc axillis inserti, nunc ex adverso prodeuntes.

Calix; tubulosus, crassus, subcoriaceus, striatus, intus pilosus, limbo eroso-crenato, basi bracteolis 2-3 caliculatus.

Corolla; petala 5-linearia, albo eburnea, stylum magnitudine aequantia, unguiculis attenuatis calici aequalibus.

Staminum tubus; calice duplo longior, striatus, apice 5-crenatus, antheris hic adglomeratis, ovatis, adpressis, margine polliniferis.

Stylus; subtetragono-sulcatis, staminum tubo paulo major stigmate capitato.

Fructus; semen unicum figura et magnitudine corilliforme cortice fibroso sublignoso tectum, calice ampliato jamque lignoso ad medietatem glandis cinctum.

Habitat solitaria ad *Izucar* in suburbio S. Didaci.

Claris. Reip. Praeses Guadalupe Victoria, cum adhuc

III vir ad australem inter Oaxacam et Angelopolim *plagam, publicae tranquillitatis causa proficisceretur, per* Izucar *transiens ibique funebrem Lexarzae majestatem admirans, ramum foliis floribus et fructu instructum ad manus meâs ut descriptio fieret pervenire fecit; post vero, charissimus meus collega, Doctor Josephus Ignatius Luna, benemeritus Izucarensis parrochus, arboris iconem et dimensiones missit accuratas, addens, sub magnifica hujus camera ê ramis eformata inferioribus, indigenas primitivos, mortuos suos lugere venire, floresque ejus solitos, esse miscere* pozonqui *(potus est, ex theobromate frigido confectus) quo in nuptiis et festis recreantur, ut sapidiorem reddant, ex quo fortasse, arbor vernacule* Cacahoaxochitl *appellata est, quod hispanice verti potest,* Flor de Cacao. *Eodem testante parrocho, nec Izucarensi ditione, nec reliquis huic vicinis, ullum aliud invenitur individuum, sed Doctor Michael Valentin Huamantlensis parrochus rerumque naturalium observator non ignobilis* Cacahuaxochitl *descriptionem considerans, mihi asseruit, se cum per* Mistecas *iter ageret, conos huic similes a longe prospexisse*

Licet stipulas non viderim, tum reliqui descriptionis characteres, tum maxima mucilaginis copia quae floribus madefactis in parte antherifera cummulatur cacahoaxochitl ad malvaceas revocant.—Llav.

MIERIA.

Polygamia aequalis. Calix, oligophyllus, pauciflorus, caliculatus. Receptaculum uudum. Pappus, paleaceus.

M. VIRGATA.

Caulis; bipedalis, striatus, scabriusculus, de medio ad summum ramosovirgatus.

Folia; alterna; superiora simplicia, reliqua pinnata, ut plurimum ternata, foliolis linearibus, angustissimis, integris, scrobiculatis.

Flores; solitarii, longe pedunculati, panicula dichotoma dispositi.

Calix; turbinatus, pentaphyllus, foliolis obovatis, adpressis, concaviusculis, margine imbricatis, hic rubentibus, apice membranaceo-flavicantibus, basi foliolis duobus inaequalibus caliculatus.

Flosculi; quinque, lutei, calici subaequales, limbo quinquedentato, stylis vix exsertis, antheris inclusis.

Semina; tetragona, basi attenuata, angulis non raro ciliatis, vertice paleis hyalinis brevibus coronato, ad angulos in aristulam desinentibus.

Habitat ad colles *Tacnbaya* et aliis in locis *Mexico* vicinis.

Servando Theresiae Mier, Mex. Universitatis Doctori, ad comitia generalia pro Regiomontana ditione Delegato, ipsi, quod scriptis nervo plenis, bellum tirannis indixerit, nec unquam, vexatus licet et ad necem persecutus, libertatis causam deseruerit.—D. Llav.

ROLDANA.

Polygamia superflua. Flos radiatus. Calix, oligophyllus, aequalis, caliculatus. Radius ex ligulis remotis. Receptaeulum favosum. Pappus pilosus.

R. LOBATA.

Caulis; orgyalis, ramosus, pilis obsitus, teres, subflexuosus.

Folia; alterna, rotundato-lobata lobis 5-7 nunc repandis, nunc obtuse angulosis, crasiuscula, mollia, longe petiolata, superiori pagina pubescentia, inferiori viridi-albicantia, pube subtomentosa..

Flores; lutei, mediocres, primo adspectu discoidei, in racemos paniculatos ramorum extremitate dispositi, ac pedunculis 2-3 floris, foliolis instructis filiformibus, suffulti.

Calix; cilindricus, ex foliis 8, acutis, aequalibus, basi foliolis 2-3 filiformibus caliculatus.

Radius; ex semiflosculis constat 5-7 brevibus, erectiusculis, subcucullatis, 2-3-5-partitis, stylo erecto praelongo, stigmatibus revolutis.

Discus; multiflosculosus, limbi dentibus revolutis, antherarum tubo praelongo, eminenter exserto.

Receptaculum; squamoso-favosum.

Pappus; dentato-pilosus, uniformis.

Semina; linearia, glabra

Januario floret in horto mexicano.

Eugenio Montaño et Roldan Otumbensi, inter strenuos libertatis duces fortissimo, qui in campis Apam. postquam multoties profligaverat regis copias, ab iis tandem equo deficiente obsessus ac circundatus, ne animam tirannorum dimitteret arbitrio, memor pristinae virtutis, solus contra hostium agmen pugnans, usque eo se gladio defendit, quod plumbis confossus vitam exuit gloriosissime; ipsi ob invictum animi robur, et praeclara pro communi libertate gesta.—D. Ll.

MONTAÑOA.

Polygamia frustanea. Flos radiatus. Perianthium pentaphyllum. Pappus-o. Receptaculum, convexum, paleis vestitum hirsutissimis, semina aliquantulum involventibus.

M. TOMENTOSA.

Frutex; 5 8 pedalis, ramosissimus, ramis oppositis, erectis, villosis, tomentosisque.

Folia; inferiora cordato aut ovatotriangularia, acuta, inferne tomentosa, superne pubescentia, dentatosinuosa, petiolis plerumque alato-subpinnatifidis: superiora frequenter alterna ovato-oblonga, lanceolataque.

Pedunculi; paniculato-corymbosi, foliis aliquot floralibus, linearibus, instructi.

Flores; albi, suaveolentes, uti tota planta.

Perianthium; pentaphyllum, foliolis oblongis, inaequalibus, parvis.

Discus; ex flosculis tubulosis 12-14, tubo tereti, filiformi, limbo campanulato, quinquefido, laciniis revolutis.

Radius; ex semiflorculis 4-5, oblongis, emarginatis, bitrique dentatis, genitalibus infoecundis.

Receptaculum; parvum, convexum, paleis hirsutis admodum, membranaceis, calycem propium mentientibus, seminaque aliquantulum amplexantibus, instructum.

Semina; obovata, compressa.

Frequentissima ad ripas defossarum juxta Mexicum, ubi á naturalibus *Cihuapatli* nuncupatur Floret aestate et autumno.

Ludovicus Montaña angelopolitanus, vir magno ingenio, acad. mexicanae Doctor insignis, in re medica nulli apud nos secundus, rerumque naturalium vegetantium praesertim indagator diligentissimus hujus memoriae novum nocce genus. — V. Cerv.

124

JALAMBICEA.

Monoecia hexandria. *Flos masculus.* Spatha diphylla, foliolis oblongis, acuminatis, compressis, marcescentibus. Corolla hexapetala, petalis lanceolatis, tribus exterioribus parum latioribus. Filamenta sex brevissima; antherae oblongae quadrangulares erectae sulcatae. *Flos hermaphroditus foemineus.* Spatha ut in masculis, folio exteriore breviore. Corolla tripetala, petalis oblongis, masculinis internis simillima. Filamenta sex brevissima, singula duo ad basim cujusque petali: antherae nullae. Germen inferum oblongum striatum; stili sex bipartiti; stigmata duodecim subspiralia stilis longiora. Capsula ovalis striata unilocularis. Semina plurima subrotunda pedicellata glandulis plurimis referta.

J. REPENS.

Planta; aquatica, perennis, radice fibrosa, filamentis plurimis barbatis onusta.

Caulis; repens, teres, striatus

Folia; omnia radicalia, ovata, integerrima, glabra, superne nitida, inferne post florescentiam praesertim gibba, vesiculis plurimis aere distentis repleta.

Pedunculi; longissimi, striati, subfistulosi, parum rufescentes, supra plani, subter convexi; masculi communiter tres in singula spatha, altero longiore; foeminei, solitarii, longissimi, omnes radicales.

Flores; albi, inodori, parvi, marcescentes, externe punctis rufescentibus adspersi, spatha tam florum quam foliorum ob-

longa, acuta, compresa, tenerrima, striis rufescentibus notata, cito marcescenti

Semina; subrotunda, parum echinata, pedicellis brevibus instructa, pulpaque elastico-fibrosa nidulantia.

Obs. *Caulis vix 2-pollicum magnitudinem attingit, dum novas radiculas in verticillum dispositas profert, supra quas folia, spathae, floresque nunc masculi, nunc foeminei, nunc utrumque sexum complectentes enascuntur.*

Frequentissima in defossis Mexicanis, aquam undique obtegens. Floret Junio et Julio.

In honorem D. Joannis Jalambic, Medicinae et Chyrurgiae Professoris, ingenuarum artium cultoris, plantarum americanarum scrutatoris indefessi, funesto fato ex vivis apud nos erepti.—Cerv.

ORCHIDIANUM OPUSCULUM.

RINEMOSPERMAE (*)

SEU

ORCHIDEAE. (*Gynand Diandr. Linn.*)

Character universalis ex Decandolle. [*Sin. Flor. Gall. p.* 168.]

Perigonium petaloideum, ovario adhaerens, sexpartitum, laciniis irregularibus, 3-exterioribus, 3-interioribus, 5-superioribus florem quasi vere constituentibus, inferiore (*labello*) forma semper directione saepius diversa; antherae 1-2, uni-adquadriloculares, sessiles super stylum nunc ad apicem, nunc ad latus sitae: pollen in massam agglutinatum: stylus columnaris simplex; stigma orbiculare viscosum positione varium; capsula unilocularis trivalvis tricarinata inter nervos lateraliter dehiscens; semina numerosa scobiformia receptaculis tribus mediis valvis adnatis imposita; corculum ad basim perispermi carnosi.

PARS I.

RINEMOSPERMAE HYPOGEAE.

SECTIO I. *Monandrae.*—Anthera loculis discretis, gynostemo longitudinaliter adnatis. Pollinis massae granulosae.—Herbae terrestres radicibus nunc fasciculatis, nunc tuberosis, tuberibus ovatis aut palmatis; foliis integris amplexicaulibus, floribus bracteatis spicatis.

(*) *Semina scobiformia.*

ORCHIDIANUM OPUSCULUM.

RINEMOSPERMAE (*)

SEU

ORCHIDEAE. (*Gynand Diandr. Linn.*)

Character universalis ex Decandolle. [*Sin. Flor. Gall. p.* 168.]

Perigonium petaloideum, ovario adhaerens, sexpartitum, laciniis irregularibus, 3-exterioribus, 3-interioribus, 5-superioribus florem quasi vere constituentibus, inferiore (*labello*) forma semper directione saepius diversa; antherae 1-2, uni-ad-quadriloculares, sessiles super stylum nunc ad apicem, nunc ad latus sitae: pollen in massam agglutinatum: stylus columnaris simplex; stigma orbiculare viscosum positione varium; capsula unilocularis trivalvis tricarinata inter nervos lateraliter dehiscens; semina numerosa scobiformia receptaculis tribus mediis valvis adnatis imposita; corculum ad basim perispermi carnosi.

PARS I.

RINEMOSPERMAE HYPOGEAE.

SECTIO I. *Monandrae.*—Anthera loculis discretis, gynostemo longitudinaliter adnatis. Pollinis massae granulosae.—Herbae terrestres radicibus nunc fasciculatis, nunc tuberosis, tuberibus ovatis aut palmatis; foliis integris amplexicaulibus, floribus bracteatis spicatis.

(*) *Semina scobiformia.*

I. NEOTTIA.

Perigonium 6 partitum, laciniis 5-superioribus basi conniventibus apice liberis, labello basi ventricoso cucullis duobus in ovarium productis instructo: stylus acute appendiculatus: stigma terminalis antice obliquum; anthera 2-locularis postica.

1. NEOTTIA AURANTIACA.

Foliis omnibus ovatis vaginantibus; spicis oblongo-thyrsoideis; perigoniis urceolatis amplificatis; labello carinato, erecto.

Planta terrestris, bipedalis et ultra. — Radix tuberoso-fasciculata; tuberculis oblongis pendulis, levi tomento tectis, odorem hircinum valide emittentibus. — Caulis cylindricus teres, articulatus, paululum striatus. — Folia ovata, ampla, lineata, vaginantia, alterna: vaginulae laevigatae, striatae, ad genicula caulis superpositae.—Flores spicato-terminales: spica oblonga, thyrsoidea, magna, ad spiram contorta.—Bractae coloratae, membranacae, extus pubescentes, magnitudine florum.—Perigonium urceolatum, flavum sicut et bractea; tomentosum 6-fidum, tribus laciniis superioribus connexis; duabus inferioribus parum divergentibus; labello carinato, erecto, basi gibbo, concolore, extus tomentoso.—Anthera lineari-sagittata, bilocularis, insidens styli parti superiori. Pollen farinaceum, glutinosum, album.—Ovarium inferum contortum. Stylus infundibuliformis, limbo oblique trifido. Stigma cavum, hemisphaericum glutine plenum in externa tubi parte antherae opposita. Vaginula alba, linearis depressa, apici tubi contra antheram incumbens. — Capsula ovata, unilocularis, trivalvis, ad spiram disposita. Semina scobiformia.

Habitat in montibus prope *Vallisoletum*. Floret Junio et Julio. Vernacule *Cutsis*. Antiqui Michuacanenses radicibus superstitiose abutebantur ad venerem concitandam.

2. NEOTTIA CINNABARINA.

Foliis omnibus lanceolatis; spicis conico-thyrsoideis, compactis; perigoniis urceolatis subtomentosis; labello erecto, apice reflexo.

Planta bi-aut tripedalis, terrestris, elegantissima. — Radix tuberculis crassioribus pendulis, fasciculatis, foetidis.—Caulis cylindraceus pallido-rubens, articulationibus vaginulis foliorum tectis.—Folia lanceolata, lineata, vaginantia, sensim breviora, acuta.—Flores spicati, terminales. Spica conica-thyrsoidea, spiraliter torta.—Bracteae coloratae, subtomentosae, acutae, perigonio breviores.—Perigonium croceo-carneum, urceolatum, gracile, incurvum, parum pubesces; laciniis intus lutescentibus approximatis, apice reflexis. Labellum concolor.—Reliqua ut in praecedenti.

Habitat prope *Irapaeum, S, Michael del Monte*; floret Augusto—Vernacule *Cutsis*.

3. NEOTTIA MICHUACANA.

Foliis ensiformibus nervosis; spicis secundis lanatis; perigoniis ringentibus subtomentosis; labello sub-hastato, venoso.

Planta lanata, bipedalis, terrestris, odoratissima. — Caulis teres striatus, erectus, vaginulis foliorum omnino tectus.—Folia radicalia ensiformia, nervosa, laevigata, vaginantia: caulina lanceolata, alterna, gradatim minora.—Flores thyrsoidei, fragrantissimi, spica secunda lana argentea deuse induta, dispositi.—Bracteae longitudine florum, basi carnosae, amplexicaules, nervosae, acuminatae, marcescentes.—Perigonium luteum, ringens, extus parum tomentosum, laciniis 3-superioribus connatis, duabus-lateralibus liberis, obliquis; omnibus lineis longitudinalibus nigricantibus variegatis, apice reflexis. Labellum concolor, subhastatum, carinatum, venosum, intus basi lanatum, reflexum.—Gynostemum breve.—Anthera sagittata 2-lo-

cularis postica.—Pollen farinaceum, lamellis quatuor sectum. —Ovarium contortum, extus lana tectum. Reliqua ut in Charactere generico.

Habitat in provincia Michuacana, juxta *Vallisoletum*, praecipue versus *Jesus-del-monte*. Floret Octobri.

---

4. NEOTTIA SULPHUREA.

Foliis radicalibus lanceolatis; spicis secundis; floribus confertis; perigoniis hiantibus tomentosis; labello acuto, intus lanuginoso.

Planta sesquipedalis, tristis aspectu.— Radix tuberosofasciculata, ut in congeneribus.—Caulis cylindricus pallido-virescens, articulatus.—Folia radicalia lanceolata, glauca, vaginantia, nervosa, nerviis parallelis.—Squamulae caulinae membranaceae, amplexicaules, alternae, marcescentes.—Spica florum oblonga, secunda; floribus confertis sensu diverso contortis.—Bracteae membranaceae, acutae, nervosae, apice nigricantes.—Perigonium urceolatum, hians, sulphurei coloris, tomentosum; laciniis nerviis longitudinalibus virescentibus lineatis. Labellum concolor tomento lanuginoso intus ad basin vestitum.—Vaginula Styli, gynostemumque brevius quam in praecedentibus.

Habitat simul cum ipsis; floretque mensibus autumnalibus.

---

5. NEOTTIA PAPULOSA.

Foliis radicalibus lanceolatis; spicis laxis, perigoniis urceolatis papulosis; labello calcarato.

Planta terrestris, gracillima: — Radix tuberosa, fasciculata, tuberibus pendulis sublanatis.—Caulis rubens, villosus, vix pedalis.—Folia radicalia lanceolata, lineata: caulina breviora vaginantia.—Flores alterni, spica laxa dispositi, bracteis rubris suffulti.—Perigonium urceolatum, erectum, rubrum; la-

ciniis linearibus connatis, extus glandulis hyalinis indutis. Labellum concolor, papulosum, nectario vero calceiformi, ad basim tubulatum.—Anthera, gynostemumque ut in congeneribus.

Habitat versus *Tzitzium*, prope *Vallisoletum*. Floret Julio.

6. NEOTTIA MICRANTHA.

N. Foliis radicalibus ovatis; spicis spiralibus; floribus secundis; perigoniis hiantibus; labello crenulato.

Planta terrestris, radice tuberosa ut in praecedentibus fibrillis capillaribus ad originem caulis circumdata.—Caulis fistulosus, filiformis, squamulis acutis vaginatus.—Folia radicalia ovata, basi caulem amplectentia.—Flores spicato-secundi; spica elongata spiraliter contorta.—Bracteae membranaceae, lineares, acuminatae.—Perigonium album, laciniis tribus superioribus connatis, duabus lateralibus lanceolatis liberis. Labellum concolor, amplificatum, canaliculatum, reflexum, margine crenulato, undulato, delicatissimo.—Genitalia minuta, sicut et flores, disposita ut in congeneribus.

Habitat versus *Sancta Maria et Jesus*, prope *Vallisoletum*, floretque Aprili.

Obs. *N. spirali, Pers planta affinis. L.*

a *N. michranta, floribus carneis, labello discolore variegato.*

II. CRANICHIS.

Perigonium resupinatum, subringens. Labellum fornicatum. Anthera Neottiae. (*Pers. Ench. t.* 2. *p.* 511.)

7. CRANICHIS SPECIOSA.

C. Monophylla; radicibus fasciculatis; caule vaginato; floribus incurvis cernuis; labello discolore.

Planta terrestris, bipedalis et ultra. — Radix fasciculata, tuberculis, oblongis, carnosis, subhyalinis, foetidis. — Folium uni-

cum radicale lanceolatum, glaucum, caulem amplectens.—Caulis teres squalidus, membranis laceratis juxta basim, filamentisque rigidis tectus.—Squamulae caulinae membranaceae, vaginantes, acutae. — Flores alterni, incurvati, bracteis lineatis praecincti. — Perigonium infundibuliforme, ringens, pallido carneum, recurvum, laciniis duabus internis brevioribus, omnibus lanceolatis basi conniventibus, ad apicem reflexis, lineis longitudinalibus rubris et ochreis alternatim dispositis variegatis. Labellum amplificatum, venosum album, venis virescentibus ramificatum, limbo undulato.—(Genitalia ut in Neottiis.)—Fructus ut in praecedentibus.

Habitat juxta praedium vulgo *del-Rincon*, prope *Vallisoletum*. Floret Majo et Junio. — Vernacule, apud Mexicanos *Atzauhtli*. (*V. Hernand. T.* 1. p. 235. *ed. Matr.* De Tzauhtli aquatica.)

8. CRANICHIS TUBULARIS,

C. Aphylla; radicibus fasciculatis teretibus praemorsis: caule vaginato: floribus incurvis tubulatis; labello concolore.

Planta humilis terrestris.—Radix, tuberculis crassis, fasciculatis, praemorsis.—Folia radicalia.... (Nondum vidi in hac specie.) Caulis cylindraceus, squalidus, vaginatus squamulis foliaceo-membranaceis, acutis.— Flores alterni, paululum incurvati, bracteolis pallescentibus cincti. — Perigonium tubulatum, pallido-carneum, hians: tubus incurvus, laciniis tribus externis subaequalibus, duabus internis angustioribus acutis, omnibus longitudine lineatis, nervosis, extus pubescentibus. Labellum ovatum, amplum, concolor, pendulum, limbo emarginato.—Genitalia basi laciniarum intime adnata. — Reliqua ut in Congeneribus.

Habitat versus *la-cañada-del-Rincon*, cum praecedenti, Floretque eodem tempore. Vern. *Acatlzauhtli*, seu *Tzauhtli* arundinaceum. (*Hern. t.* 1. *p.* 236 *ed. Matr.*)

III. SATYRIUM.

Perigonium ringens, foliolo superiore fornicato. Labellum lineare, partitum aut subintegrum. Calcar breve, subinflatum aut nullum. Anthera Orchidis. (*Pers. Ench t.* 2 *p.* 506.)

9. SATYRIUM VALLISOLETANUM.

S. Bulbis fasciculatis: foliis septemnerviis: floribus pellucidis; labello subdiviso erecto, lacinia media reflexa.

Planta terrestris, scapo aphyllo.—Radix tuberosa, fasciculata, bulbis crassis oblongis, tortuosis, pendulis.—Folia radicalia ovata, lata, laevigata, septem-nervia, acumine reflexo terminata. Scapus teres, fuscus, villosus, squamulis foliaceis alternis vaginatus.—Flores laxe spicati.—(Habitus Neottiae.) Perigonium 5-fidum, segmentis 3-superioribus in galeam connatis; 2-lateralibus divergentibus amplificatis; omnibus ferrugineo-virescentibus, herbaceis, extus pellucidis.—Labellum erectum concolor, obscure 3-lobum, genitalia amplectens, lacinia intermedia petaloidea, albida, revoluta, tomento levi intus vestita.—Gynostemum clavatum, obtusum. Anthera postica bilocularis. Pollinis massae duae farinaceae apice congglutinatae Stigma obtusum, antice excavatum.—Germen inflatum, perigonio majusculum.—Capsula villosa, incurva, clavata, sulcata. Semina scobiformia.

Habitat prope *Vallisoletum*, juxta praedium de *Quinzéo*. Floret Majo.

IV. ORCHIS.

Perigonium personatum, 6-partitum, supra fornicatum, labello basi calcarato; stigma convexum anticum; anthera bilocularis terminalis. (*Decand. Sin. Fl. Gall. p.* 168.)

10. ORCHIS ENTOMANTHA.

O. Labello biglanduloso quinque partito; laciniis linearibus revolutis; calcare ovario longiore; foliis vaginantibus ovatis, quinque nerviis.

Planta terrestris, vix pedalis.—Bulbus solidus, subglobosus indivisus; radiculae filiformes.—Caulis simplex, angulatus, erectus.— Folia ovata, rugata, alterna, vaginautia, nerviis quinque longitudinalibus.—Spica florum laxa. Flores alterni, bracteis lanceolatis, carinatis involuti.—Perigonium lacteum, concavum, 5 fidum; tribus segmentis superioribus connatis; duobus lateralibus divergentibus acutis.—Labellum quinque-partitum, concolor, laciniis lineari-setaceis revolutis. — Gynostemum capitatum, conico ovatum, obscure bifidum. Anthera bilocularis supra excavata. Pollinis massulae duae obovatae, pedicellatae, lutescentes. Stigma cavum, intra duos loculos antherae hians.—Ovarium triquetrum, nonnihil contortum. Calcar sive Nectarium longissimum, filiforme, tubulatum, intra labellum et gynotesmum excavatum, duabus glandulis virescentibus versus faucem corniculi prominentibus. — Capsula ut in congeneribus.

Habitat prope *Vallisoletum*; floretque Julio et Augusto.

Obs. *Orchidi 5 setae Michauxii planta parum affinis; characteribus plurimis sane diversa. L.*

a. Orchis entomantha, *floribus herbaceis*. — *Prope Vallisoletum.*

V. OPHRIS.

Perigonium 6-partitum, segmentis patentibus, labello ecalcarato; Stigma convexum anticum; anthera bilocularis terminalis. (*Decand. Sin. Flor. Gall. p.* 170.)

---

11. OPHRIS MACROSTACHYA.

O. Labello subrotundo concavo; segmentis perigonii patentissimis: spica florum elongata.

Planta terrestris, habitu gracilis.—Radix tuberosa, bulbo unico oblongo, filamentis ad basim circumdata: radiculae paulo incrassatae. Folium unicum radicale ovatum, vaginans, uninerve: squamulae foliaceae basim amplectentes. — Scapus tetragonus, longissimus, erectus. Flores spicati sessiles, conferti, bracteis linearibus cincti. — Perigonium herbaceum, 5-fidum. Segmenta 3-exteriora ovata, patentia; duo lateralia angustiora lunulata. Labellum concavum subrotundum, concolor, obtuse acuminatum.—Gynostemum brevissimum. Anthera 2-locularis ad apicem. Pollinis massulae duae minutissimae. Stigma non aspectabile. — Capsula hexagona striata. Semina scobiformia.

Habitat prope *Jesus-del-monte*, juxta *Vallisoletum*. Floret Augusto.

Obs. *Rachidem graminearum aemulatur scapus post lapsum florum. L.*

SECTIO II. *Diandrae*. Antherae duae distinctae laterales. Pollen conglomeratum. — Herbae terrestres, radicibus tuberosis, foliis vaginantibus integris, floribus alternis.

VI. CYPRIPEDIUM.

Perigonium 6-partitum: labellum inferum maximum obtusum, inflatum, calceolatum. Stylus appendiculatus. Stigma obtegens. Antherae 2-distinctae laterales basi appendice lanceolato instructae.

---

12. CYPRIPEDIUM IRAPEANUM.

C. Caule folioso; lobo styli subcordato, deflexo; labello segmentis perigonii breviore; fauce villosa auriculata.

Planta terrestris, tripedalis et ultra. — Radix tuberosa, tuberibus magnis tum ovatis, tum oblongis, pendulis. — Caulis simplex, foliosus, articulatus, tomento lanuginoso indutus.— Folia ovata, alterna, vaginantia, tomentosa, acuminata, nerviis plurimis longitudinalibus rugata: vaginulae ore ciliatae.— Flores axilares, penduli. — Perigonium cruciforme, segmentis ovato lanceolatis, membranaceis, nervoso-striatis, lutescentibus, tomentosis. Labellum duplex; primum subcordatum in formam cuculli apici gynostemi adnectitur, genitaliaque involvit: secundum majus scrotiforme, concolor, cavum, venoso-reticulatum, fauce villosum, cujus auriculae duae introflexae maculis coccineis sunt variegatae, á basi columellae ut in caeteris Orchideis procedit.—Gynostemum clavatum, auriculatum, carnosum, obscure 3-gonum, auriculis antheriferis. Stigma 3-angulare, infundibuliforme, glutinosum. Antherae duae hemisphericae, biloculares, pedicello brevi ad auriculas gynostemi affixae. Ovarium elongatum, incurvum.—Capsula cylindracea, oblonga, obtuse hexagona, tomentosa, unilocularis, tribus placentis seminiferis linearibus. Semina scobiformia.

Habitat in montibus *Irapaei*, versus *Arumbaro*; floretque Augusto.—Vernac. *Flor del Pelicano*.

PARS II.

RINEMOSPERMAE EPIGEAE.

Anthera opercularis, bi-aut quadrilocularis terminalis. Pollinis massae cereaceae. — Herbae potius terrestres, bulbis aut tuberculis extra terram prodeuntibus; fibrillis radicalibus fasciculatis, incrassatis.

SECTIO I. Anthera decidua, massulis quatuor divisa.

VII. CYMBIDIUM.

Perigonium 6-partitum; labellum inferum basi concavum, ecalcaratum stylo minime adnatum; stigma anticum; anthera opercularis decidua terminalis hemisphaerica, 2-vel-4-locularis: pollen granulosum pedicello antico adfixum. (*Decand. Sin. Fl. Gall. p.* 172.)

13. CYMBIDIUM VEXILIFERUM.

C. Bulbo oblongo tunicato; foliis radicalibus lanceolato-ovatis; scapo triquetro multifloro; floribus segmentis perigonii patentibus; labello vexilliformi.

Planta terrestris, vix pedalis. — Radix tuberosa, bulbo unico oblongo tunicato, fibrillis capillaribus ad collum tecta: radiculae simplices vermiformes. — Folia radicalia, lanceolato-ovata, nervosa, laevigata, vaginantia. — Scapus triqueter, angulis decurrentibus, floribus spica diffusa ordinatis, cernuis. Bracteae lineares acutae, amplexicaules. — Perigonium herbaceo-membranaceum, luridum, segmentis tribus externis lato-lanceolatis, duobus internis lineari-elongatis, omnibus patentibus, marginibus revolutis. Labellum magnum, ovatum, cari-

natum, purpureo-fuscum, venosum, ad marcescentiam nigricans, vexillum papilionacearum aemulans, limbo integerrimo. — Gynostenium conico-incurvum, antice canaliculatum, ad apicem incrassatum, auriculis duabus carnosis foveam stigmatis concludentibus.—Anthera opercularis caduca. Pollinis massae quatuor ovatae, pedicello brevi glutinoso adfixae. Operculum petaloideum reniforme, biloculare, herbaceum. – Capsula prismatica oblonga, 3 valvis, angulis acutis. Semina scobiformia.

Habitat in montibus Vallisoletanis. Floret Septembri.

VIII. MAXILLARIA.

Perigonium quinque-fidum, segmentis subaequalibus falcatis, supremo concavo. Gynostemum maxillaeforme incurvatum subcalcaratum. Labellum inferne caniculatum, superne latum. Pollinis massae bipartitae. (Syst. veget. Flor. Peruv. sec. cl. Swartz, p. 219.)

14. MAXILLARIA LILIACEA.

M. Radice tuberosa; foliis ensiformibus plicatis; floribus spatha vera tectis.

Planta subterrestris, liliacearum habitu.—Radix; bulbus solidus subglobosus, membranulis tectus, extra terram fere productus: radiculae breves cylindrico-flexuosae fasciculatae.—Folia radicalia bina aut terna ensiformia, petiolata, longitudinaliter plicata, ad basim membranis purpurinis collum radicis amplectentibus convoluta.—Scapus solidus subpedalis, erectus, Spatha membranacea monophylla lateraliter dehiscens ad extremitatem cinctus. Flores nivei bracteolati spica thyrsoidea elegantissime dispositis. Bracteolae lanceolatae, ad marcescentiam ut tota planta nigricantes. — Perigonium ringens, 3-segmentis superioribus connatis, quorum duo lateralia lineis pur-

purpuris variegata, duobus inferioribus lunulatis convergentibus eodem modo maculatis. Labellum concolor ovatum, carinatum, ascendens, limbo integro, ad basim punctis ochreis maculatum, obscure calcaratum. — Gynostemum clavatum, canaliculatum, incurvum, versus apicem amplificatum. Stigma subrotundum. Anthera opercularis decidua. Pollinis massae 4, luteae, reniformes, cereaceae, supra foveam stigmatis adglutinatae. Operculum 2-loculare, acuminatum.—Capsula pyriformis 6-gona, rudimento calcaris oblique terminata. Semina plurima scobiformia.

Habitat prope *Vallisoletum* sub umbra arborum, aliquandove supra radices, floretque mensibus aestivis.—Vernac. *Azuzena del-monte.* — *Iztactepetzacuxochitl, Icohueyo, Hern. t.* 1. p. 237 *ed. Matr.*)

---

*5. MAXILLARIA SUPERBA.

M. Radice tuberosa; foliis lato-lanceolatis rugatis, nervosis sub-petiolatis; floribus thyrsoideis spatha cinctis.

Planta liliacea, aspectu pulcherrima.—Radix ut in praecedenti.—Folia lato-lanceolata, subpetiolata 3-nervosa, longitudinaliter rugata.—Scapus bipedalis spatha vera purpurascenti munitus. Flores thyrsoideo-spicati, lutei, maculis, punctisve coccineis variegati, bracteis membranaceis marcescentibus praecincti. Reliqua ut in *M. liliacea*, ex qua foliis, magnitudine partium, et florum coloribus differt.

Habitat in montibus prope *Vallisoletum*. Floret Augusto. Vernac. *Azuzena amarilla* (*Cozticzacatzacuxochitl*, seu luteo, herbaceo ac florenti *Tzacuxochitl*, Hernan. t. 1. pag. 237.)

SECTIO II. Anthera persistens, pollinis massa bipartita.

IX. ARETHUSA.

Perigonium subringens, segmentis conniventibus. Labellum ecalcaratum. Anthera opercularis persistens. Pollen pulvereo-granulatum. (*Pers. Ench. t.* 2. p. 512.)

---

16. ARETUSA TIGRIDIAEFOLIA.

A. Subterrestris; radice tuberosa; foliis nervosis ensiformibus rugatis: scapo spatha munito.

Planta liliacea, praecedentium habitu. — Radix tuberculosa; bulbo externo oblongo, fibrillis paucis incrassatis.—Folia radicalia ensiformia, nervosa, acuta, longitudinaliter rugata, versus basim squamulis foliaceis vaginata.—Scapus pedalis teres, ad apicem spatha monophylla dehiscenti munitus. Flores alterni, squalidi, bracteis membranaceis marcescentibus suffulti. — Perigonium herbaceo-fuscum, segmentis subaequalibus, 2-lateralibus angustioribus. Labellum trilobum albicans, lacinia intermedia longiore, sulcata, limbo purpurascenti. — Gynostemum subcompressum, brevissimum. Anthera ovata, loculis discretis, persistens, duplicatura gynostemi operculata. Pollinis massae duae distinctae, pulvereo-granulosae. Stigma rima transversali infra antheram hians.—Capsula ignota.

Habitat prope *Vallisoletum*. Floret Julio.

PARS III.

RINEMOSPERMAE EPIDENDRAE.

Anthera opercularis bi quadri-octo-locularis, terminalis, decidua. Pollinis massae ceraceae. — Herbae parasiticae: paucissimae terrestres aut saxatiles, &c. (*Humb. nova pl. gen. et sp. tom.* I.)

SECTIO I, Pollinis massulae octo.

X BLETIA.

Perigonii segmenta quinque subaequalia. (duo interiora latiora) patula, oblongo-lanceolata. Labellum ecalcaratum, cucullatum, liberum, trilobum, lobo intermedio magno. Gynostemum apterum. Anthera terminalis operculata. Pollinis massae octo ceraceae.—Plantae parasiticae bulbiferae. Scapi multiflori, rarius uniflori. (*Humb. ibidem.*)

§ I. BLETIAE EPIGEAE.

17. BLETIA PUNCTATA.

B. Subterrestris, radice tuberosa; bulbis externis subrotundis; foliis lato-lanceolatis plicatis; floribus punctato-miniatis.

Planta liliacearum habitu.—Radix; bulbi subrotundi, carnosi aut pyriformes extra terram producti, tuberculo grumoso subterraneo adnati: radiculae cylindraceae fasciculatae. — Folia radicalia quatuor vel sex lato-lanceolata, longitudinaliter plicata, versus basim membranis involuta.—Scapus longus, 3-pedalis, ferrugineus, punctis rubris maculatus. Spatha membra-

nacea monophylla lateraliter dehiscens. Flores alterni, bracteolis acutis virescentibus cincti. — Perigonium regulare, segmentis 5-subaequalibus, cuneiformibus (ut in Alstroemeriis) ferrugineo-virescentibus punctis purpurinis variegatis. Labellum luteum, eodem modo punctatum, trilobatum, lacinia intermedia latiore, limbo undulato. — Gynostemum carinatum, incurvum, maculis rubris lineatum. Anthera operculumque ut in congeneribus. — Capsula cylindrico-clavata, fusca. Semina scobiformia.

Habitat supra arborum radices, in montibus *Irapaei*; floretque á Junio usque ad Augustum.

---

18. BLETIA COCCINEA.

B. Subterrestris, radice tuberosa; tuberculo horizontali pediformi; foliis ensiformibus plicatis; floribus labello profunde emarginato.

Planta potius terrestris, pedalis et ultra Radix tuberosa, complanata solida, pediformis, fibrilis paucis cylindraceis ad calcem tuberculi fasciculatis.—Folia radicalia duo ensiformia longitudinaliter rugata, rigida, squamulis spathaceis inferne involuta. — Scapus longus, coloratus, teres, floribus alternis. Bracteolae breves, acuminatae. — Perigonium pollicare dilute coccineum, velutinum, segmentis 5-subaequalibus ad basim lutescentibus. Labellum concolor 3 partitum, laciniis lateralibus contra gynostemum convolutis, media pendula, profunde emarginata, tribus prominentiis petaloideis plano ipsius perpendicularibus sulcata. — Gynostemum, anthera et operculum ut in congeneribus.—Capsula ignota.

Haec rarissima species habitat juxta *Tlzitzium*, prope *Valisoletum*, supra radices arborum; floret Augusto. (*Tonaloxochitl*, sive *Tzacuxochitl* altera Hernand. t. 1. p. 239 ed *Matr.*)

---

19. BLETIA CAMPANULATA.

B. Subterrestris; radice tuberosa; foliis ensiformibus nervosis, planis; floribus subcampanulatis cernuis.

Planta pedalis, gracillima.—Radix solida grumosa horizontalis, fibrillis paucis fasciculatis.—Folia radicalia ensiformia, nervosa, plana, acuta, squamulis foliaceis ad basim vaginata.—Scapus pallido-virescens, erectus, fistulosus, floribus alternis, bracteolatis, cernuis.—Perigonium regulare subcampanulatum, purpureo-violaceum, sesquipollicare, segmentis 5-lanceolatis, sudaequalibus conniventibus; duobus internis albicantibus; 3-externis crassioribus. Labellum trilobatum, albo-violaceum, laciniis lateralibus convolutis; intermedia plana protuberantiis petaloideis longitudinaliter sulcata; limbo undulato purpurascenti. — Gynostemum apterum carnosum, incurvum, autice canaliculatum. Anthera opercularis decidua octo-locularis. Pollinis massae 8-cereaceae. Operculum petaloideum personatum. Stigma orbiculare concavum infra antheram. —Capsula oblonga hexagona. Semina scobiformia.

Habitat prope *Vallisoletum* versus *Irapaeum et Acuitzium*. Floret Augusto. (*Tzacuxochitl*, seu florida *Tzautli, Hernand. t.* 1. *p.* 238 *ed Matr.*)

a Bl. campanulata, *laciniis perigonii acuminatis*: *labello concolore miniato.—Cum illa pr. Vall.*

---

§ II. BLETIAE EPIDENDRAE.

20. BLETIA GRANDIFLORA.

B. parasitica; bulbis oblongis, pyriformibus aut subrotundis; foliis lanceolatis flore minoribus; scapo uni-bifloro aut dichotomo.

Planta elegantissima — Bulbi pyriformes oblongi, aut subrotundi, crassi, bi-tri-pollicares, confertissimi, membranis ex

basi prodeuntibus tecti: radiculae tenaces filiformes, materia alba fungosa, spongiosave indutae. — Folia bina aut terna in singulo bulbo, lanceolata, crassa, coriacea, purpureo-ferruginosa, enervia, basi scapum amplectentia, magnitudine fere florum. — Scapus cylindrucus, teres purpureo-fuscus 1-2 florus aut dichotomus, floribus resupinatis.—Bracteae membranaceae ad dichotomiam vel articulum scapum complectentes. Flos magnus spithameus, purpurinus, elegans, paululum odoratus. — Perigonium dilute purpureum, segmentis 3 esternis lanceolatis; duobus internis ovatis latioribus, lateraliter emarginatis; omnibus carnoso-venosis, subaequalibus, patentissimis. Labellum positione floris erectum, purpureo-violaceum, ad basim et medium albicans, profunde 3-partitum; laciniis lateralibus contra gynostemum convolutis, media maxima, emarginata, subcrenata, limbo undulato purpurascenti, prominentiis variis petaloideis lutescentibus sulcata, punctis coloratis diversimode maculata. — Gynostemum ut in praecedenti. Anthera opercularis, decidua. Filamenta quatuor ligulata, elastica, ex adverso latere adhaerentia massulis 8-pollinis utrinque terminata. Operculum album, 8-loculare. Stigma sub ungula gynostemi excavatum. — Capsula oblonga, 6-gona, 3-pollicaris, angulis 3-prominentibus obtusis. Semina scobiformia lutescentia.

Habitat supra truncos arborum in tota Provintia Michuacana. Floret Majo et Junio. — Vernacule *Lirio, Flor de Corpus*. *Itzúmaqua* inter Michuacanos. (

Obs. *Apud indigenas* Flor de Corpus *haec planta vulgare nomen obtinuit, ex eo quia solemne festum Dom. Corp. thyrsis et stratis, diversisque aliis formis floribus compositis, inter caetera laetae devotionis testimonia celebrare consueverunt. L.*

21. BLETIA AUTUMNALIS.

B. parasitica, bulbis turbinatis sulcatis; foliis oblongo-lanceolatis, carinatis arcuatis; scapo elongato multifloro.

Planta parasitica, fere praecedentis habitu.—Bulbi turbinati, crassi, bipollicares et ultra, longitudinaliter sulcati, memdranis praecincti: radiculae fungosae vermiformes.—Folia bina aut terna, oblongo-lanceolata, carinata, arcuata, crassa, coriacea, enervia, scapum basi supra bulbos amplectentia.—Scapus cylindraceus, tripedalis, purpurascens, multiflorus, bracteis membranaceis cinctus.—Flores alterni, pedunculati, resupinati, infundibuliformes, fragrantissimi, magnitudine duplo minores quam in praecedenti specie. Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in montibus *Vallisoleto* vicinis. Floret tantum Autumno. — Vernacule Flor de los Santos. (*Itzumaqua,* insula de *Xanichu* lacus Pazquarensis pulchriore.)

Obs. *Species omnino diversa á praecedenti.*

XI. ARPOPHYLUM (*Gen. novum.*)

CHAR. DIFFERENTIALIS.

Perigonium gibbosum, segmentis subaequalibus. Labellum concavum, subrotundum. — Gynostemum apterum. Anthera terminalis operculata. Pollinis massae octo, cereaceae, monadelphae.

Habitus.—Planta parasitica, polypoda, non bulbifera. Scapus teres e sinu folii falcati, spatha cincti, procedens. Flores dense spicati.

CHAR. NATURALIS.

Perigonium 6-partitum, segmentis 3 externis latioribus. 2 internis lanceolato-linearibus; omnibus subaequalibus in gib-

bam inferne connatis. Labellum subrotundum, concavum, rugosum, ad basim breviter calcaratum; ungula canaliculata.— Gynostemum prismaticum, erectum. Anthera opercularis decidua. Pollinis massulae 8-solidae, pyriformes, inter se filamentis glutinosis ligatae: manipulus liber, operculo reniformi, 4-loculare tectus. Stigma, rima transversalis infra antheram.—Ovarium cylindraceum sulcatum. —Capsula striata, in 3 valvulas lineari-lanceolatas dehiscens. Semina minutissima.

Affinitas. Genus novum *Dendrobio* affine, sed labelli forma, et massularum pollinis numero satis diversum.

Etymologia. A folio falcato.

---

22. ARPOPHYLLUM SPICATUM.

Planta parasitica, bulbis destituta. — Radix lignosa, articulata, fibrillis plurimis spongiosis ex nodis prodeuntibus.— Caules cylindrico depressi, basi articulati, membranulis scariosis involuti.—Folium unicum in singulo pede, crassum, coriaceum, longissimum, canaliculatum, enerve, ad extremum brevissimi caulis scapum complectens, necnon articulatum, arcuatum vel falciforme, pagina superiori carnoso-hyalina, inferiori laevigata.—Spatha membranacea, colorata, 1-phylla, lateraliter dehiscens, liquorem glutinosum distillans. — Scapus conico-elongatus, purpurascens, teres, floribus innumeris spica cylindracea densissime conglomeratis. Flores parvi, dilute purpurini, sessiles, glutine indutis, labello concolore, operculo albicanti.

Habitat juxta *Arimbaro.* Floret Septembri et Octobri. (*Tzauhxilotl,* seu Tzauhtli spicae Maizii tenerae, Hernand. t. 1. p. 242 ed Matr.)

Obs. *Falci messorum folia assimilantur. L.*

XII. SOBRALIA.

Perigonium resupinatum. Segmenta 5-oblonga patentissima, subdeflexa, aequalia, 2-interiora paulo angustiora. Labellum, obcordatum, fimbriatum.—Gynostemum sublineare 3-fidum canaliculatum. (*Bulbi fasciculati, etc. Syst. veget. Flor. Peruv.* —*Pers. Ench. t.* 2. *p.* 517.)

23. SOBRALIA CITRINA.

S. bulbis turbinatis aut ovatis, membranulis albicantibus tectis; foliis oblongo-lanceolatis glaucescentibus; floribus concoloribus crassis.

Planta parasitica speciosa. — Bulbi oblongo-turbinati aut ovati, membranis albicantibus tunicati, confertissimis: radiculae vermiformes, spongiosae.—Folia tum ovata, tum oblongo-lanceolata, conduplicata, carnosa, glauca, enervia, laevigata; bina aut terna in singulo bulbo. — Scapus teres, supra bulbos natus, ad basim squamulis distichis bracteatus uni-,raro biflorus, pendulus. Flos terminalis magnus, odoratissimus, concolor, pulpam citrinam referens. — Perigonium carnosum, crassum, luteum, glaucescens, segmentis 5-aequalibus patentissimis, 3-externis ovatis integerrimis; duobus interius angustioribus emarginatis, limbo interius crenulato. Labellum 3-lobatum, concolor, lobulo intermedio venoso, undulato, emarginato, limbo scarioso albicanti.—Gynostemum columnare carnosum, obscure 3-quetrum, apice 3-fidum, dentibus lateralibus acutis, intermedio crassiori obtuso, antheram operculatam concludentibus. Pollinis massae quatuor (*), triangulari-reniformes, cereaceae, filamentis ligulatis lateraliter adhaerentibus; liberae sub operculo reniformi 4-loculare, acuminato, caduco. Stigma obcordatum, glutinosum antice excavatum. — Capsula

oblongo-turbinata, 6-angularis, 3 valvis. Semina scobiformia floccosa, tenuissima, utrinque acuminata.

Habitat supra arbores in montibus Vallisoleto proximis. Floret Majo et Aprili (Vernacule *Tatzingueni*, inter Michuacanos: *Corticoatzontecoxochitl, Hernand. t.* 1. *p.* 240 *ed Matr.*)

Obs.* *Numero massularum pollinis tantum a Sobraliis,* (*Fl. Per.*) *differt.* — *Planta* Epidendro pulcherrimo. *Sessé et Mog. proxima. L.*

XIII. EPIDENDRUM.

Perigonii foliola quinque patentia; labellum ecalcaratum unguiculatum; unguis cum gynostemo in tubum connatus. Anthera terminalis operculata. Pollinis massae quatuor cereaceae. —Herbae parasiticae, bulbiferae aut caulescentes. Flores paniculati, spicati, rarius solitarii. Swartz. (*Humb. nova gen. et sp. t.* 1.

§. I. BULBIFERA SCAPO SIMPLICI.

24. EPIDENDRUM ADENOCAULUM, (VEL GLANDULOSUM.)

E. bulbis turbinatis striatis; foliis ensiformibus subternis coriaceis bulbo innatis; scapo simplici glanduloso; lamina labelli cordata, emarginata.

Planta parasitica valde speciosa. Bulbi congesti, oblongo-turbinati, profunde rugati, membranis laceratis omnino tecti: radiculae spongiosae, vermiformes, fasciculatae. — Folia bina aut terna in singulo bulbo, pedalia, ensiformia, coriacea, angusta, paululum canaliculata, acuta, superne divergentia, scapum amplectentia. — Scapus bi-aut-tripedalis, teres, fuscus, erectus, glandulis tota superficie punctatus; floribus alternis.

raro paniculatis. Bracteae membranaceae, vaginantes. Pedunculi glandulosi.—Perigonium patentissimum, dilute violaceum, segmentis subaequalibus lineari-lanceolatis, 3-externis carinatis latioribus. Labellum concolor 3-partitum, gynostemo adnatum; laciniis lateralibus acutis columellam obvolventibus; media magna cordata, emarginata, obtusa; venis purpurini-ramificatis variegata. — Gynostemum depressum, obscure trigonum, virescens, duabus auriculis petaloideis prope rimam stigmatis convolutis, duobusque dentibus acutis cellulam antherae concludentibus. Operculum carnosum, 4-loculare, bisulcum.—Reliqua ut in charactere generico.—Capsula ignota.

Habitat supra arbores prope *Vallisoletum*. Floret Aprili.

---

25. EPIDENDRUM PASTORIS. (*)

E. caule repenti, bulbis in seriem ordinatis; foliis elliptico-oblongis; floribus alternis, lamina labelli cordata, acuta; pericarpiis triquetris.

Planta repens, parasitica.—Caulis lignosus, articulatus, nodis membranis imbricatis, laceratis tectis. — Bulbi turbinati, oblongi, paralleli, aequidistantes, perpendiculariter una serie supra caulem ordinati: radiculae spongiosae ad articulos fasciculatae.—Folia bina, raro terna, elliptico oblonga, laeviter striata, subcoriacea, ad extremum bulborum basi scapum amplectentia.—Scapus anceps, nudus, depressus, pauciflorus. Flores alterni, pedunculati, odorem quasi *Vanillae* suavissimum emitentes. Bracteolae membranaceae, lineares. — Perigonium herbaceo-membranaceum, lutescens, patentissimum, segmentis 5-subaequalibus lineari-lanceolatis, lineis longitudinalibus purpureo-fuscis, striatis, margine revolutis, acutissimis. Labellum album, ad marcescentiam vi aromatis pallens, cordatum, auriculatum, lineis purpurinis versus basim ad auriculas maculatum, lamella sulcata.—Gynostemum columnare fuscum, ad apicem 3-glandulis luteis coronatum. Anthera opercularis de-

cidua. Pollinis massae 4. Operculum album. Stigma supra canaliculam gynostemi cavatum. — Capsula oblonga, triquetra, angulis acutis. Semina scobiformia.

Habitat supra arbores versus *Acuitzium*, *Undamaeum* usque ad *Arium* in Provincia Michuacanensi, floretque Junio et Julio. (*Amatzauhtli* species vel *Tzacutli*, Hern.)

* *Diximus in honorem D. Joann. Joss. Pastor Morales, amici dignissimi, in scientia Botanica valde periti. L.*

26. EPIDENDRUM ADENOCARPON.

E. bulbis confertis; membranulis praecinctis; foliis lanceolatis; scapo simplici; lamina labelli subrotunda; pericarpiis cylindraceis glandulosis.

Planta parasitica. Bulbi turbinati obovati, conferti, ad medium membranis transverse praecincti: fibrillae radicales spongiosae.—Folia bina, lanceolata, coriacea, supra bulbos nata.—Scapus simplex bracteatus, floribus alternis, bracteis scariosis.—Perigonium luteum patens, segmentis 5-ligulatis, paulo elongatis, obtusis, punctis linearibus purpurinis miniatis. Labellum luridum, columellae adnatum 3-partitum; laciniis lateralibus acutis; intermedia maxima subrotunda, ungula lineis rubris striata.—Capsula cylindrica 3-valvis, glandulis exterius omnino tecta. Semina scobiformia.

Habitat in montibus *Irapaei*, floret Aprili.

27. EPIDENDRUM SQUALIDUM.

E. bulbis ovatis subancipitibus; foliis lanceolatis retusis; scapo simplici flexuoso; lamina labelli reniformi trisulcata.

Parasitica; bulbi aggregati, ovati, subcompressi, basi squamulis scariosis tecti, tenelli glaucescentes: radiculae ut

in caeteris.—Folia bina bulbis innata, lanceolata, glauca, retusa, basi scapum amplectentia. — Scapus filiformis flexuosus, floribus alternis resupinatis. — Perigonium herbaceum luridum, extus purpurascens, segmentis 5-subaequalibus, patulis. Labellum albidum 3-partitum, laciniis lateralibus linearibus, intermedia subreniformi, emarginata, undulata, longitudinaliter 3-sulcata.—Gynostemum album: operculum luteum. Capsula ignota.

Habitat in montibus prope *Vallisoletum*. Floret Octobri.

Obs. *Planta* E-viridi, *Pers. paulo affinis.*

---

28. EPIDENDRUM CONCOLOR.

E. bulbis confertis ancipitibus monophyllis; scapo filiformi; floribus concoloribus; lamina labelli integerrima.

Planta parasitica, gracillima.—Bulbi conferti, ancipiti-lenticulares subrotundi, depressi, membranulis tecti: radiculae incrassatae, spongiosae. — Folium unicum lato-lanceolatum, subcoriaceum, acutum, bulbo adnatum.—Scapus filiformis articulatus, tenellus, 5-florus, floribus alternis squamis brevissimis vaginatis.—Perigonium dilute ochro-leucum, segmentis ligulalis impunctatis, duobus internis sublinearibus. Labellum concolor, 3-partitum, striatum, laciniis lateralibus parum convolutis; intermedia majore, limbo integerrimo; ungula gynostemi longitudine. Pericarpium ignotum. Reliqua ut in congeneribus.

Habitat supra arbores prope *Vallisoletum*. Floret Aprili.

---

29. EPIDENDRUM LIGULATUM.

E. bulbis ovatis nudis depressis; foliis lanceolatis subcoriaceis; scapo simplici erecto; lamina labelli obcordata, crenata, pericarpiis trigonis.

Planta gracilis parasitica.—Bulbi ovati, nudi, depressi fasciculati: radiculis vermiformibus spongiosis. — Folia lanceolata bulbo innata, subcoriacea, striis longitudinalibus sulcata. — Scapus filiformis, floribus alternis resupinatis, squamulis vaginatis. — Perigonium purpureo-fuscum, segmentis ligulatis reflexis. Labellum lutescens obcordatum, punctatum, limbo subcrenato.—Capsula parva, trigona. Semina ut in congeneribus.

Habitat, floretque in montibus *Irapaei*, mense Aprili.

Obs. E. adenocarpo *differt fructu, sed aliis notis est illo valde affinis.*

§. 2. BULBIFERA, SCAPO RAMOSO

30. EPIDENDRUM MICHUACANUM.

E. bulbis pyriformibus nudis; foliis ensiformibus conduplicatis; scapo ramoso floribundo; lamina labelli reniformi biloba.

Planta parasitica elatior. — Bulbi magni subgloboso-pyriformes, nudi, laevigati, adolescentia foliolis spathaeformibus tecti.—Folia terna aut quaterna ensiformi-lanceolata, pedalia et ultra, conduplicata, laevigata, glaucescentia, basi scapum disticbe supra bulbos vaginantia.—Scapus teres ramossisimus, racemis alternis, bracteis axillaribus brevissimis squamatus. Flores parvi, alterni, inodori, ramulis sparsi.—Perigonium dilute ochro-fuscum, segmentis quinque cuneato-lanceolatis amplificatis; duobus internis angustioribus. Labellum tripartitum albicans, lacinia media reniformi biloba.—Capsula ignota

Habitat in montibus Michuacanensis Provinciae, et prope Vallisoletum. Floret Autumno.

Obs. E. bifido *Persooni affinis, plurimis notis diversa species.*

§. 3. CAULESCENTIA, BULBIS DESTITUTA.

31. EPIDENDRUM ANISATUM.

E. radice tuberculosa fasciculata; caule simplici lignoso; foliis distichis; floribus racemosis; scapo prolifero terminali.

Planta parasitica, pedalis et ultra, bulbis destituta.—Radix: tuberculi cylindracei, carnosi, purpurini, prehensiles, extus tomentosi ad basim caulis confertim fasciculati, medulla fibrosa tenacissima.—Caules simplices, lignosi, articulati, erecti, membranulis imbricatis tecti.—Folia disticha elliptico-lanceolata, vaginantia, carnosa, enervia. — Scapus terminalis lignosus, incurvus, ut plurimum prolifer, subdivisus, foliolis aut bracteis membranaceis imbricatis squamatus. Flores racemosi, conferti, longe pedunculati, noctu odorem anisatum emittentes.—Perigonium stellatum patentissimum, tum rufidulum, tum albicans aut luridum, segmentis subaequalibus margine revolutis; 3-superioribus divergentibus, omnibus linearibus, obtusis, aliquandove impunctatis. Labellum concolor 3-partitum, apici styli adnatum, laciniis lateralibus obtusis, intermedia profunde bilobata, lobulis acutis, lamina convexa 3-lineis purpurinis ad insertionem notata. — Capsula siliquaeformis 3-valvis pedicellata. Semina scobiformia.

Habitat supra arbores prope *Vallisoletum.* Floret Junio. (in testis omni tempore.)

32. EPIDENDRUM LIGNOSUM.

E. radice tuberculosa fasciculata; caule ramoso lignoso; foliis confertis distichis; floribus sparsis.

Planta pedalis parasitica. Radix tuberculosa praecedenti simillima, tuberculis virescentibus: fibrilae vagae, repentes, ad nodos caulis fasciculatae —Caules plurimi, lignosi, ramossisimi, articulati, squamosi, membranis laceratis á basi usque ad ortum foliorum omnino tecti. — Folia bina, terna, aut plurima, lineari-lanceolata, obtusa, emarginata, disticha, ad articulos conferta. Fasciculi sparsi in tota planta. Scapi terminales pauciflori, in singulo fasciculo.—Perigonium herbaceum, squalidum, punctatum, segmentis ut in specie praecedenti dispositis. Labellum concolor, 3-partitum, lamina convexa integra, basi 3-striis purpurinis sulcata. Reliqua ut in *E. anisato.*

Habitat, floretque simul cum ipso in montibus *Vallisoletanis* supra arbores.

XIV. PACHYPHYLLUM.

Perigonii foliola 5-subaequalia, patula, carnosa: labellum ecalcaratum, medio tuberculatum, liberum. — Gynostemum apicem versus alatum. Anthera terminalis operculata &c. — Plantae parasiticae. Caulis foliosus. Folia disticha, carnosa, basi vaginantia. Spicae axillares bracteatae. (*Humb. nova gen. et sp. t.* I. *fam. Orch.*)

---

33. PACHYPHYLLUM? SCANDENS.

P. radice lignosa scandenti; caule folioso erecto; foliis ovalis vaginantibus distichis; spica terminali bracteata.

Planta parasitica.—Radix lignosa scandens, articulata, tuberculis vermiformibus materia albicanti indutis, ad nodos

fasciculatis.—Caules articulati, foliosi, ex nodis prodeuntes, ad ortum membranulis vaginantibus tecti.—Folia ovata, vaginantia, disticha, crassisima, enervia, acuminata.—Scapus longissimus, terminalis, purpurinus, inferne squamatus, squamulis vaginantibus. Flores alterni, bracteati, inodori. Bracteae coloratae, filiformes, r volutae. — Perigonium dilute purpurinum, patulum, segmentis 5-ovato-lanceolatis, subcarnosis, aequalibus, reflexis, venis longitudinalibus lineatis. Labellum concolor, ovatum, carinatum, ecalcaratum, vexilliforme; ungula albicanti, tuberculis longitudinalibus striata. — Gynostemum purpureum, subtriquetrum, canaliculatum, duobus auriculis decurrentibus alatum. Stigma orbiculare. Anthera opercularis decidua. Pollinis massae quatuor.—Capsula ignota.

Habitat supra arbores Erythrynae prope *Huandacareo*, oppidum Micciacanum. Floret Septembri.

Obs. *Numero massularum pollinis differt á* Pachyphyllo Humboldtii. *¿An diversi generis tatmesi caeteris notis, foliis praecipue, valde conveniat cum illo?*

XV. PSITTACOGLOSUM.** (*Gen. novum.*)

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Perigonium subcarnosum, segmentis limbo scariosis. Labellum crassum, linguaeforme, basi tuberculatum. Gynostemum clavatum, apterum, incurvum. Anthera decidua operculata. Pollinis massae quatuor inaequales. Capsula oblonga 6-angularis, 3-valvis.

Habitus. Planta parasitica bulbifera; bulbis ancipitibus monophyllis: scapo unifloro, squamis imbricatis vestito.

CHARACTER NATURALIS.

Perigonii segmentis 3-externis lanceolato-elongatis; duobus internis angustioribus incurvis, apice erectis, omnibus subcarnosis acutis, limbo scarioso; externis inferis infra labellum paulo connatis. Labellum crassum, scabrum, obscure auriculatum, ad unguem tuberculo prominenti concavo instructum, linguam, palatumque psittacorum aemulans.—Gynostemum clavatum, incurvum, subtriquetrum, antice canaliculatum, ad extremitatem planum, Stigma orbiculatum. Anthera decidua, operculo 2-loculari, petaloideo mitrata. — Pollinis massae quatuor lenticulares agglutinatae supra planum gynostemi: ex iis duo externa majora. — Capsula oblonga 6-angularis, rudimento gynostemi incurvi terminata. Semina scobiformia.

Affinitas. Maxillariae affinis, habitu tamen satis diversa. et potius generi subsequenti proxima.

Etimologia. Ex verbis graece psittacum et linguam significantibus; linguam enim psittacorum labellum refert.

34. PSITTACOGLOSSUM ATRATUM.

Planta parasitica.—Bulbi conferti, subrotundi, aut oblongi, depressi, ancipites, monophylli. — Folium oblongo-lanceolatum, laevigatum, integerrimum, conduplicatum. — Scapus radicalis brevis, extra bulbos natus, squamulis membranaceis spathaeformibus, cuneato vaginantibus disticHe imbricatis tecus.—Flos magnus atropurpureus terminalis, erectus. Labeltum concolor, nigricans. Operculum album.

Crescit supra arbores inter lichenes, prope *Jesus-del-monte*. Floret vere.

XVI. ALAMANIA*,* (*Gen. nov.*)

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Perigonium regulare, segmentis inferioribus basi connatis calcar referentibus. Labellum basi glandulosum aut tuberculatum, lamina lanceolata segmentis perigonii conformi. Gynostemum apterum tricuspidatum. Anthera operculata. Pollinis massae quatuor. Capsula oblonga, hexagona, subgibbosa. Semina minutissima.

Habitus. Planta parasitica pumila, bulbifera. Scapi simplices multiflori. Flores pollicares pulcherrimi, spathelati, liliacearum habitu.

CHARACTER NATURALIS.

Perigonium 6-partitum, segmentis subaequalibus lanceolatis, trinervosis. Labellum segmentis conforme, basi glandulosum aut tuberculatum: lamina lanceolata erecta. Nectarium verum tubulatum, infra labelli insertionem productum Gynostemum carnosum subclavatum, tricuspidatum, apterum. Anthera opercularis decidua. Pollinis massae quatuor cereaceae, pedicellatae.—Operculum reniforme, 4-loculare. Capsula tenella, gibbosa, clavata, elongata: adulta oblonga, 6-gona, 3-costata. Semina minuta, scobiformia.

Affinitas. Genus STENEGLOSSO Humboldtii, labelii forma tantum affine, characteribus memoratis satis diversum.

Etymologia. Diximus in honorem praeclarissimi viri D. D. *Lucae Alamanii,* Reipublicae nostrae ornamenti, in Scientia Botanica maxime eruditi, nunc exterarum, interiorumque relationum publici Ministri.

35. ALAMANIA PUNICEA.

Planta exigua, arboribus parasitica. Bulbilli oblongi conferti, apice bifolii, floriferique, membranis scariosis tecti: ra-

dices; vermiformes, fasciculatae, crassitudine digiti, diverso sensu contortae, intus fungosae, virescentes, extus albidae, laevigatae: fibrillae centrales filiformes.—Folia bina, raro terna in singulo bulbo, opposite sessilia, divergentia, ovata, crassa, enervia, acuminata, fusca, parum conduplicata. — Scapus bipollicaris, coloratus, tenuis, ex apice bulbi procedens. Flores alterni, inodori, bracteolis acutis membranaceis cincti. Flores punicei, perigonio regulari. Labellum concolor, glandula baseos lutescenti. Gynostemum carnosum luteum. Operculum atropurpureum.

Viget supra arbores in monte excelso de *Quinzeo*, prope *Vallisoletum*. Floret Aprili.

*** SECTIO III. Pollinis massulae duae.

§. I. Parasitica bulbifera, scapo extra bulbos nato.

XVII. CUITLAUZINA.*** (*Gen. novum.*)

CHARACTER DIFERENTIALIS,

Perigonium carnoso-venosum, segmentis 5-subrotundis breviter ungulatis. Labellum flabelliforme, edentatum, ungula canaliculata; lamina amplificata, rugosa, biloba. — Gynostemum ventricosum tripterum. Anthera operculata decidua. Pollinis massae duae cereaceae, pyriformes, cavae, pedicello communi suffultae.

Habitus. Planta parasitica bulbifera, pulcherrima. Bulbi depressi, rugati. Folia lato-lanceolata patentia. Scapus ebracteatus pendulus.

CHARACTER NATURALIS.

Perigonium patentissimum, segmentis quinque subrotundis carnosis, venosis, ut plurimum irregularibus. Labellum amplum, ungulatum; lamina venosa, rugata, flabelliformi, bilo-

ba; limbo undulato; ungula canaliculata edentata. — Gynostemum ventricosum breve: auriculae tres petaloideae, sublaceratae antheram, foveamque stigmatis circumdant. Anthera opercularis. Pollinis massae duae pyriformes, cavae, pedicello communi canaliculato suffultae, apici gynostemi affixae. Operculum petaloideum, uniloculare, cucullatum. Capsula ....

Affinitas. Certe novum genus *Cyrtochilo* Humboldtii, parum affine.

Ethymologia. Diximus in memoriam *Cuitlahuatzin,* Reguli Iztapalapae, qui Mexicanos Hesperideos hortos maximo labore arboribus plantisque rarissimis exornare curavit.

36. CUITLAUZINA PENDULA.

Planta parasitica, formosa.—Bulbi ovati, depressi, tripollicares conferti, foliiferi, ad vetustatem rugati, basi membranis induti: radiculae cylindraceae spongiosae, albicantes.—Folia bina lanceolata, coriaceo-membranacea, patentissima, basi supra bulbos conduplicata (unum ab altero amplexum). — Scapus radicalis teres, multiflorus, extra bulbos natus, bracteis destitutus, pendulus. Flores magni, odoratissimi, alterni. — Perigonium candidum, aut violaceum, punctis purpuriuis diversimode variegatum.—Labellum tum concolor, tum discolor ungula lutescenti, punctis coccineis miniata. Operculum alaeque candidae.—Capsula ignota.

Habitat supra arbores juxta *Jesus del monte* prope *Vallisoletum.* Floret Junio et Julio.

XVIII. ODONTOGLOSUM.

Perigonii foliola quinque subaequalia patentia: labellum unguiculatum, ecalcaratum; unguis gynostemo basi adnatus; lamina reflexa, plana, dentibus carnosis instructa. Gynostemum apice alatum. Anthera terminalis operculata. Pollinsi

massae duae cereacae pedicello communi suffultae. — Herbae parasiticae bulbiferae. Scapus multiflorus. Flores magni, spathellati.

(*Humboldt, nova gen. et sp. t. 1.*)

---

37. ODONTOGLOSSUM CERVANTESII.

O. bulbis ovatis ancipitibus confertis; foliis solitariis lanceolatis, basi attenuatis, bulbo innatis; scapo distiche vaginato; floribus longe pedunculatis, gynostemo alato.

Planta parasitica, habitu gracillima, odore grata. — Bulbi ovati, carnosi, lenticulares vel ancipites, pollicares, confertissimi, monophyllii (raro diphilii); radiculae spongiosae, vermiformes. — Folium unicum in singulo bulbo, lanceolatum, laevigatum, basi attenuato-conduplicatum, vix 4 pollicare, acutum, reflexum. — Scapus flexuosus extra bulbos natus, squamulis distichis spathaeformibus vaginatus. Bracteae magnae membranaceae, rugosae, acutae. — Flores alterni, longe pedunculati, pedunculis ad insertionem incrassatis. Perigonium subcarnosum, niveum, segmentis tribus externis lanceolatis, carinatis, angustioribus, acutis; duobus internis ovatis, latis, breviter acuminatis; omnibus venosis, mollissimis, maculis concentricis versus basim purpurinis aut sanguineis variegatis. Labellum concolor, ungula incrassata biloba lutescenti, dentibus duobus instructa, punctisque maculata; lamina nivea, cordata, nervosa, limbo undulato sublacerato. — Gynostemum columnare 3-gonum, elongatum prope rimam duabus auriculis subrotundis munitum. Stigma ovale concavum, amplificatum, glutinosum. Anthera opercularis decidua. Pollinis massae duae pedicellatae. Operculum cucullatum album. — Capsula ventricosa, costis non prominentibus. Semina scobiformia.

Habitat in montibus prope *Irapaeum*, floretque vere.

Obs. Species omnium pulcherrima, sapientissimo Magistro D. D. Vincentio Cervantes, Botanices Professori dicata. —L.

38. ODONTOGLOSSUM APTERUM.

O. bulbis ovatis depressis; foliis lato-lanceolatis nervosis conduplicatis; scapo tereti pauciflоro; gynostemo aptero crasso.

Planta praecedenti simillima. Bulbi bipollicares et ultra ancipites, di-aut-triphylli: radiculis spongiosis. — Folia radicalia lato-lanceolata, nervosa, conduplicata, tum supra bulbos, tum extra bulbos nata scapum amplectentia, basi squamulis foliaceis praecincta.—Scapus teres pauciflorus, spathelis membranaceis vaginatus. Flores pedunculati, articulati, mollissimi. —Perigonium album; segmentis internis latioribus, maculis subrotundis purpurinis versus basim congestis variegatum. Labellum ungula carnosa bilobata, denticulis terminalibus incrassatis divergentibus; lamina petaloidea alba, limbo crenato, ad insertionem maculata.—Gynostemum columnare apice inflatum, fovea cordiformi, glutinosa, aptera. Anthera praecedentis.—Capsula ignota.

Habitat supra arbores juxta *Irapaeum*, floretque Martio.

39. ODONTOGLOSUM MACULATUM.

O. bulbis ovatis subancipitibus monophylis; foliis lanceolatis conduplicatis; scapo elongato depresso multifloro; floribus bicoloribus maculatis; lamina labelli integra cordata acuminata.

Planta parasitica. — Bulbi ovati elongati, subancipites monophylli: radiculae ut in caeteris parasitis. — Folium unicum in singulo bulbo, lanceolatum, conduplicatum subcoriaceum, nerviis longitudinalibus. — Scapus radicalis simplex elongatus

depressus, floribus alternis, inodoris, resupinatis, spathelatis. —Perigonium bicolor, segmentis 3-externis lanceolatis, carinatis, castaneo-fuscis, acutissimis; duobus internis ovatis amplificatis, luridis, venosis paulo brevioribus; omnibus versus basim maculis ochreis diversimode variegatis. Labellum basi carnosum bi-auriculatum, denticulis duobus incurvis, lamina lutescenti, cordiformi, acuminata, maculata; limbo integro Gynostemum alatum. Anthera praecedentium.—Capsula oblonga, costis parum prominentibus.

Habitat supra arbores in montibus *Irapaei*, *Jesus del monte* prope *Vallisoletum*. Floret Martio.

Obs. *Characteribus memoratis addere possumus ut essentiales in hoc genere*: 1. *Segmenta interna perigonii ampliora*: 2. *Externa carinata acuta*: 3. *Gynostemum elongatum*: 4. *Stigma patens*: 5. *Scapus extra bulbos procedens.—L.*

XIX. ONCIDIUM.

Perigonii foliola 5-subaequalia, patentia; labellum maximum ecalcaratum, basi tuberculatum (*cristatum*), planum, liberum. Gynostemum apice alatum Anthera terminalis operculata. Pollinis massae duae, cereaceae pedicello communi affixae.—Herbae parasiticae, bulbiferae. Scapi radicales multiflori, paniculati, rarius pauci, aut uniflori.—Swartz.

(*Humb. nova gen. t.* 1.)

40. ONCIDIUM TIGRINUM.

O bulbis ovatis ancipitibus; foliis lanceolatis bulbo innatis; scapo tereti simplici; floribus lamina labelli reniformi longe unguiculata.

Planta parasitica, pedalis et ultra, formosissima — Bulbi ancipites ovati, obscure hexagoni 3-pollicares et ultra; folio-

lis membranaceis ad basim convolutis: radiculae spongioso-albicantes.—Folia lanceolata, subcoriacea, laevigata, bina aut terna in singulo bulbo, basi conduplicata. — Scapus bipedalis, cylindraceus, purpureo-fuscus, incrassatus, extra bulbos natus; ad articulos squamulis membranaceis vaginatus. Flores tres, quinque, magni, alterni, speciosi, pellem tigrinam referentes, odore *violae* suavissimo. — Perigonium regulare patens, segmentis quinque lanceolato-ovatis lutescentibus, maculis tigrinis castaneo-purpureis tota superficie variegatis; subtus carina virescenti, marginibus revolutis. Labellum maximum luteum, immaculatum, ad ortum lobulis duobus obtusis auriculaeformibus; ungula convexa, margine etiam revoluto, obscure denticulata: lamina amplissima carnosa, reniformi, aut bilobata, emarginata, limbo undulato.—Gynostemum ventricosum, bi-auriculatum; auriculis basi subrotundis, apice acuminatis, foveam stigmatis post fecundationem claudentibus. Anthera opercularis decidua. Pollinis massae duae pyriformes, cavae, cereaceae, pedicello canaliculato affixae. Operculum petaloideum, 1-loculare, cucullatum.—Capsula oblonga, 3-costata. Semina scobiformia.

Habitat in montibus *Irapaei* prope *Vallisoletum.* Floret Novembri.—Vernacule *Flor de muertos.*

a O. tigrinum *giganteum, scapo ramoso multifloro* (Onc. altissimo *Pers. affinis.*)—*cum praecedenti.*

b O. tigrinum *elatum, scapo attenuato, floribus gracillimis prope* Paracho.

41. ONCIDIUM FUNEREUM.

O. bulbis subrotundis depressis congestis; foliis lanceolatis bulbo innatis; scapo tenuissimo elongato; floribus lamina labelli convexa, emarginata.

Parasitica supra arbores.—Bulbi lenticulares, subrotundi, depressi, hyalino-virescentes, vix pollicares, diphylli: radicu-

lae vermiformes albidae.—Folia lanceolata spithamea, basi conduplicata, bulbis adnata.—Scapus simplex longissimus, attenuatus, bracteolis vel spathelis membranaceis brevissimis vaginatus. Flores alterni, gracillimi, longe pedunculati. — Perigonium olivaceum, segmentis subaequalibus patulis, miniatis, apice reflexo. Labellum carnoseum luteum, lamina convexa emarginata; ungula prominentiis variis, denticulisve larvata.—Gynostemum capitatum, incrassatum, breve. Reliqua ut in praecedenti. — Capsula clavata, gynostemi rudimento crasso coronata, 3-valvis, obscure 6-gona.

Habitat in diversis locis hujus provinciae, praecipue juxta *Irapaeum et Jesus-del-monte.* Floret Novembri.

Obs. *Michuacanenses accolae veluti ornamenta sepulchralia flores hujusce, et praecedentis speciei, jam inde ab antiquitate, ad nostra usque tempora adhibere consueverunt, hinc non incongrue eam* funeream *nominamus.—L.*

a O. funereum, *bulbis 6-gonis, floribus bicoloribus, perig. segmentis inferioribus divergentibus arcuatis.*

b O. funereum, *biflorum, labello difformi.—Supra arbores prope Vallisoletum.*

---

42. ONCIDIUM HYALINOBULBOM.

O. bulbis lenticularibus subhyalinis; foliis lineari-lanceolatis; scapo filiformi flexuoso; floribus insectiformibus resupinatis; lamina labelli lanceolata; gynostemo cuneiformi longe rostrato.

Planta exigua, parasitica. — Bulbi lenticulares, subrotundi, hyalino-virescentes, punctati, confertissimi: radiculae spongiosae filiformes. — Folia graminea lineari-lanceolata, conduplicata, bina in singulo bulbo.—Scapus radicalis extra bulbos, filiformis, flexuosus, pauciflorus. Bracteolae membranaceae. Flores resupinati.—Perigonium membranaceum, subhyalinum, segmentis 5-lanceolatis subaequalibus marcescentibus. Label-

lum maximum luteum, carnosum, 3-partitum, basi tribus auriculis tuberculosis prominentibus; lobulis lateralibus cuneatis subrotundis, intermedio ovato, acuminato, pendulo —Gynostemum cuneiforme retroflexum. Anthera operculata. Pollinis massae duae ellipticae, filamento communi lateraliter affixae. Operculum calceiforme, 1-loculare, longe rostratum. — Capsula ignota.

Habitat *supra arbores ad Arcuitzium*. Floret vere.

Obs. *Istius plantae fructificatio singularis differt á praecedentibus. ¿An genus diversum? Cl. Humbodt* Onc. ornithoriuchum. *huic simillimum, hic retulit.—L.*

---

§. II. Parasitica, bulbis destituta:
Scapi in sinu folii vaginati.

XX. DENDROBIUM.

Perigonii foliola 5 patula; lateralia exteriora cum ungue labelli connata, calcar referentia. Labellum ecalcaratum, unguiculatum, cum gynostemo continuum; lamina articulata. Anthera terminalis operculata. Pollinis massae cereaceae.

A. *Dendrobia* parasitica
Caulescentia, folio terminali solitario.
Pollinis massae duae.

43. DENDROBIUM SCARIOSUM.

D. caule brevi unifolio; folio elliptico, limbo scarioso; scapis filiformibus in sinu folii congestis; segmentis externis perigonii latioribus concavis.

Planta parasitica, exigua, caulibus plurimis brevisimis unifoliis; fibrillis radicalibus spongiosis albicantibus; filamentis

crispatis é collo prodeuntibus intertextis.—Folium unicum in singulo pede, ovale aut ellipticum, carnosum, pagina superiori hyalinum, planum, enerve; limbo scarioso lutescenti; scapus ad basim vaginans.—Spatha membranacea brevissima in sinu folii.—Scapi tres aut quatuor filiformes, flexuosi, pauciflori; floribus secundis bracteolis suffultis.—Perigonium segmentis 3-externis luteo-virescentibus, submembranaceis concavis; duobus lateralibus planis; niveis, linea longitudinali, limboque purpurascenti variegatis. Labellum 3-partitum purpureum.—Gynostemum depressum, incurvum, versus apicem amplificatum. Anthera operculata. Pollinis massae duae obovatae cereaceae. Operculum parvum uni-loculare.—Capsula oblongo-triquetra. Semina pulveriformia.

Habitat supra arbores versus *Arimbaro*, floretque Octobri et Novembri.

44. DENDROBIUM RETUSUM.

D. caule elongato unifolio; folio lanceolato retuso; scapis plurimis in sinu folii fasciculatis.

Parasitica, habitu praecedentis. — Folium unicum lanceolatum, carnosum, retusum, longitudinaliter sulcatum, limbo integro revoluto.—Scapi plurimi in sinu folii fasciculati, filiformes; floribus articulatis dilute purpureo-fuscis, subcalcaratis. —Capsula ignota.

Habitat in montibus Vallisoleto proximis supra arbores. Floret Januario.

45. DENDROBIUM QUADRIFIDUM.

D. caule elongato unifolio; folio cuneato-oblongo; racemis folio longioribus in sinu fasciculatis; perigonio 4-fido.

Planta parasitica, caulibus plurimis aggregatis, seu polypoda.—Radices fibrillosae vermiformes, spongiosae ut in caeteris

orchideis.—Folium unicum in singulo pede, cuneato-oblongum carnosum, lucidum, vaginans, planum, basi articulatum, limbo integerrimo. — Flores racemosi, secundi; racemis 2-3-5, spathella membranacea in sinu folii praecinctis. Scapi longissimi articulati, erecti, bracteolis acutis brevissimis vaginati — Perigonium herbaceum lutescens, mollissimum, quadri-partitum, segmentis duobus externis amplificatis oppositis, apice reflexis; *duobus lateralibus* sublinearibus erectis, acutis. Labellum 3-lobatum, carinatum, concolor; filo tenuissimo articulato-pendulum, mobile.—Gynostemium cylindracèum incurvum, antice planum. Fovea glutinosa ovata. Anthèra opercularis decidua. Pollinis massae duae, oblongo pyriformes apici gynostemi adglutinatae. Operculum uniloculare acuminatum. Capsula clavata 6-gona. Semina scobiformia.

Habitat supra arbores versus *Jesus del monte*, propè *Vallisoletum*. Floret Septembri.

Obs. *Species vere nova. Flores* odorem citrinum *vespere expirant.—L.*

PARS IV.

Rinemospermae Michuacanae, nondum satis notae.

I. RINEM. BULBIFERAE.

46 EPIDENDRUM? TURBINATUM.

E. bulbis oblongo-turbinatis confertis, membranis laceratis praecinctis; scapo ex bulbis prodeunte; foliis lineari-lanceolatis coriaceis bulbo adnatis.

Flores nondum explicati. Vidi eam supra arbores prope *Arium* in provincia Michuacana.

47. PACHIPHILLUM? UNIFLORUM.

P. bulbis turbinatis unifloris, segmentis perigonii subrotundis.

Planta parasitica repens. — Bulbi oblongi, turbinati, graciles, foliis destituti.—Follia .....—Scapus 2-pollicaris, uniflorus. Flos magnus pedicello articulato.—Perigonium dilute roseum, segmentis 3-externis subrotundis; 2-internis angustis, obtusis. Labellum ovatum, dilatatum, pendulum, ad insertionem sulcatum, ungula macula purpurina notata.—Gynostemum carinatum, obtuse 3-gonum, alatum, antice punctis ochreis variegatum. Anthera operculata, decidua. Pollinis massae quatuor? —Capsula ignota.

Vidi eam floridam mense Junio, absque foliis in via *Irapaei* supra arbores.

---

48 EPIDENDRUM? (MAYZIFOLIUM) MACROBULBON.

E. bulbis fusiformibus pedalibus, articulatis; foliis distichis, ensiformibus, trinerviis.

Planta parasitica.—Bulbi pedales fusiformes, articulati, rugati, membranis imbricatis, adolescentia tectis. — Folia 8-9 in singulo bulbo, ensiformia, disticha, 3-nervia, elongata, quodammodo *Zeae Maytii* simillima. Reliqua ignota.—Habitat supra arbores, prope *Turicato* in regione calida provinciae Michuacanensis. Floret....

Obs. *Haec Orchidearum peregrina species, omnium rarissima, ad hortos vallisoletanos translata, nondum florescit.*

---

2. Rinemosperme bulbis destitutae.

49. DENDROBIUM? ALOIDEUM.

D. foliis carnosis triquetris, scapo in sinu foliorum vaginato.

Parasitica supra arbores prope *Arium*. Flores ignoti.

Amatzauhtli sp.? (V. Hern. t. 1. p. 169. ed. Matrit.)

---

50. DENDROBIUM? BRACTEATUM.

D. caule elongato polyphyllo; foliis distiche vaginantibus linearibus; scapo terminali paucifloro, bracteis concavis subrotundis, magnitudine florum.

Parasitica graminearum habitu. — Caules plurimi elongati, articulati, tenuissimi.—Folia vaginantia disticha, lineari-lanceolata, longissima, nervosa, apice obtusa.—Scapus terminalis brevis, incurvus. — Flores roseii, bracteis magnis concavis alternis cincti.

Habitat supra arbores, prope *Paracho*. Floret Octobri.

Obs. Labello differt ab *Isochylo graminifolio Humboldtii*.